LIBRARY OF CONGRESS.
Chap. BT139
Shelf .L4
UNITED STATES OF AMERICA.



COMMENTATIO

AD

HISTORIAM RELIGIONUM VETERUM ILLUSTRANDAM PERTINENS

DE

DOCTRINA GNOSTICA.

SCRIPSIT

ERNEST. ANTON. LEWALD.

D. PHIL.

HEIDELBERGAE,

PROSTAT APUD MOHR ET WINTER.

MDCCCXVIII.

BT1390
.L4

PRAEFATIO.

Historiae religionum veterum perdiscendae cupidis, qui maximam illam animorum conversionem per prosperum rei Christianae successum inter gentes paulatim effectam rite perspicere velint, haud parum expedire videtur, ut de sectis illis, quae Gnosticae nominari solent, probe cognitum habeant. Harum enim sectarum, quae, priusquam orthodoxae disciplinae rationem minus clare et explicate propositam subtilior et Graecis elegantiis subactior Alexandrinorum doctorum scientia erat subsecuta, prodierunt, et,

ab imperitiori multitudine segregatae, Judaismi vero fautoribus oppositae, crescente adseclarum numero, invaluerunt, habitum et ingenii indolem si consideraveris, nonnulla ex parte reperies, quomodo illa aetate, vice versa, sit factum, ut hominum mentes Christianismo iam addictae externis et alienis opinionibus atque studiis penitus imbuerentur et afficerentur; nec in talium placitis, quantumvis singularibus et suam ad normam interpretandis, omnino defuisse videbis, quae communem tunc multorum, et potissimum in perpoliendis aut ad certas quasdam formas animo informatas revocandis superstitionibus inveteratis conspicuum, de rebus divinis sentiendi et philosophandi modum referrent.

Generalioribus iis, quorum cognitio ad Gnosticismi naturam universe considerandam atque diiudicandam pertinere mihi videre-

tur, pertractandis hanc opellam meam destinavi. Primo loco igitur quaestionem de eius aetate, solutu haud proclivem et multimodis impeditam, denuo in examen vocare volui, et per occasionem quaedam proponere, quae N. T. interpreti haud prorsus inutilia forent; deinde praecipuorum inter eos, qui sectis Gnosticis conditis memorabiles sunt facti, primaria dogmata summatim percurrere, et quasi uno obtutu complecti, sic, ut universa huius doctrinae idea exprimeretur, seu character, ut ita loquar, singularum haeresium communis, et hic quidem, ni fallor, satis perspicuus ac manifestus, denotaretur; denique de fontibus, unde manaverit sublime istud scientiarum genus, uberius, quibusdam philosophiarum veterum et religionum Orientalium capitibus haud leviter tantummodo perstrictis, aut defunctorie in rationem adductis, disserere.

Haec omnia eo fine institui, et pro viribus meis perpetravi, ut praeterea, quodsi doctis harum rerum arbitris non sine omni fructu in hoc penso elaborasse viderer, in maiori opere, quod tunc emisurus essem, singulorum, qui sectis praefuerunt, seorsum uniuscuiusque sententias ex ordine relatas et explicatas traderem. Idem vero munus interim, me quidem non satis conscio, sibi susceperat Rev. *Aug. Neander*, vir spectatissimus aeque ac mihi carus; cuius librum ante aliquot menses publicatum, qui inscribitur *Genetische Entwickelung der vornehmsten Gnostischen Systeme*, cum primum legere potui, erudiri cupientibus egregie eum satisfacturum esse, adeo persuasum habui, ut opera illa, quam paulo ante mihi soli reservaveram, nunc sine magna difficultate aut incommodo supersedere me posse statuerem. Volebam nihilominus, ut de cura et in-

dustria in enucleandis et inter se connectendis cuiusque illorum placitis a me posita publice aliquid patefieret; in idque vel maxime conveniens fore arbitrabar, ut ex omnibus unum, Valentinum, fama et ingenio mirum in modum foecundo insignem, eligerem, cuius theologiam mysticam, fabuloso quidem ornatu vestitam, haud tamen omni sensu profundiori vacuam et nudam, a me descriptam et illustratam, qualem in scriniis servarem, in lucem ederem. Sed quoniam ipsi huic libello meo nova quaedam pars inseri iam nequibat, — sub calce enim versabar, cum amici mei librum evolvere mihi contingeret, adeoque ad mutandum meum consilium inducerer, in aliud tempus, quod idoneum mox mihi affore sperarem, differendum erat illud negotium.

Nec iam praefandum aliquid superesse video, nisi, ut Tua studia, erudite lector,

bonis votis meis prosequar, et, sicuti decet ac fas est, abs Te petam, benignum et benevolum Te mihi praestare velis. Vale.

Scribebam Heidelbergae, mense Septembri MDCCCXVIII.

ARGUMENTUM.

Caput I, de nomine et aetate doctrinae Gnosticae.

Nominis significatio et usus illustratur, *pag. 1—4.* Sectas Gnosticas ex aliqua parte inter se consensisse, a veteribus animadversum; perperam, ut videtur, ab haeresiologis in unam familiam quasi et stirpem eae iunguntur, *p. 4—5.* Simon magus, quo iure in Gnosticorum numerum referatur, *p. 5—7.* Menander, *p. 7.* Cerinthus; quae de huius haeresi sententia sit ceteris praeferenda, *p. 8—12.* Exponuntur veterum loci, quibus efficiatur, celebriores sectas saec. p. Chr. secundo demum esse ortas. Clementis Alexandr. locus vexatissimus Stromat. l. 7, p. 898 emendatur et explicatur, *p. 12—16.* Dicta Hegesippi ap. Euseb. H. E. l. 3, cp. 32, et Tertulliani de praescript. haer. cp. 29—34 recensentur, *p. 16—17.* Conclusio, *p. 17—18.*

Cap. II, examinantur loci Novi Testamenti, qui ad Gnosticorum errores spectare dicuntur.

Quales ex iis, qui ab interpretibus quibusdam in hunc sensum accipi solent, hic sint considerandi, *p. 19—20.* In Pauli epistolis nonnulla reperiuntur, quae huc pertinere videntur. Disputatur de iis, quae huiuscemodi exstant in prima ad Timoth. ep—a; per occasionem de loco dogmatico cp. 3, in fin. — item de placitis Essenorum, *p. 21—24.* Paucis absolvitur de ep. ad Coloss. cp. 2. vs. 8 sqq. vs. 16 sqq. — Uberius tractatur Johannis ep. prima, in cuius argumentum et scopum inquiritur, *p. 25—37;* sicut etiam Apocalypseos locus, c. 2 vs. 14; Nicolaitarum secta historiae vindicanda, nisi etiam hoc dictum de illa intelligendum sit, *p. 37—42.*

Cap. III, doctrinae Gnosticae summa exposita.

Dei notio adumbrata; Aeones; animae origo descripta, *p. 41—46.* Mundus sensibilis quodammodo a Dei numine seiungi et quasi removeri solitus; malorum causa ad naturale rerum mundanarum principium s. materiam relata; variae de hac, sicut de mundi creatione, hulusque opifice singulorum opiniones recensentur, *p. 46—48.* Memorantur eorundem dogmata de animarum natura et sorte prae-

sente, ex providentiae divinae idea scilicet metienda, de variis illarum generibus, singulis animae partibus, *p. 49—52;* de fato, et astrorum affectione, ex qua haud parvarum in orbe hoc inferiori momenta rerum pendeant, *p. 53.* De fine huius universi imminente, animarum conditione futura, *p. 53—54.* Vitae praecepta primaria, et adventicia; morum via aliis alia, *p. 54—55.* Dogma de Christo mirifice perpolitum; iniqua, ut plurimum, de V. T. sententia; Christi adventus varie descriptus; corporis resurrectio negata. De ecclesia etc. *p. 56—58.*

Cap. IV, de origine et fontibus doctrinae Gnosticae. Comparatur ea cum Graecorum fabulis poëtarum quibusdam et philosophorum opinionibus.

Proponitur quaestio universa de origine Gnosticismi, et ratio aut methodus eius tractandae, *p. 60—62.* Epiphanius item atque Irenaeus a poëtarum fabulis haereses repetendo nihil efficit; allegoricus fabularum sensus a nostris constitui solitus, *p. 63—66.* Magis speciose Tertullianus h. l. philosophorum, Platonis praesertim, mentionem infert, *p. 67—69.* Platonis ratio, quatenus huc pertineat; notabile sententiarum discrimen observatur, *p. 70—75.* Similia de Philone Jud. et Numenio animadvertuntur, *p. 76—80.* Plotinus Gnosticorum adversarius.

Quomodo illi in Graecos philosophos animati fuerint, *p. 80 — 82.*

Cap. V, comparatur doctrina Gnostica cum Cabbala Judaeorum.

Veterum loci de Judaica Gnosticismi origine; recentiorum quorundam coniectura his nixa, *p. 83 — 84.* Illustratur notio philosophica dualismi et doctrinae de emanatione, *p. 84 — 89;* adeoque nonnihil inter se differre monstratur sententias, de quibus inter se comparandis agitur, *p. 89 — 94*, ceteroqui mirifice sibi congruas invicem et consonas, *p, 95.* Disputatur de aetate et ortu Cabbalae, *p. 95 — 98.* Omnino haud probabile esse declaratur, quod a Judaeorum, qualiumcunque, disciplina profecta sint Gnosticorum placita, *p. 99 — 100;* neque testimonia veterum, quibus opinio huic contraria defendi solet, Ignatii nempe in ep. ad Magnes. p. 19, et Hegesippi ap. Euseb. H. E. l. 4, cp. 22, ea esse, quae rem conficere valeant. Conclusio, *p. 100 — 105.*

Cap. VI, comparatur doctrina Gnostica cum veterum Orientalium quorundam, Persarum inprimis, dogmatibus.

De Orientalismo, s. philosophia, quam dicunt Orientalem. — Quae sit quaestio nobis proposita, et qua ratione

solvenda, *p. 106 — 109.* Barbarorum sapientia a nostris plurimi facta; explicantur dicta Isidori ap. Clement. Alex. Stromat. l. 6, p. 767, cum in transitu Valentini loco, qui ibidem exstat, subobscuro, et insigni quodam mendo laboranti, restituendo, et illustrando nonnihil curae impendatur. Per occasionem de Persarum geniis, de theologia Pherecydis et Phoenicum, *p. 110 — 121.* Basilidis fragmentum in Actis disputat. Archelai c. Manet. p. 101 exhibitum, aliaque recensentur, quae Magorum opiniones h. l. praesertim respiciendas esse doceant. Porphyrii dictum, v. Vit. Plotin. cp. 16, p. 118, et quae Clemens Alex. Strom. l. 1, p. 357 de Prodici sectatoribus affert, *p. 121 — 125.* Persarum veterum dogmata praecipua secundum Zendav. libros descripta et illustrata, *p. 126 — 138.* Disputatur de his, et ad scopum nostrum ea referuntur: de summo rerum universitatis principio, quod omnibus ceteris praeposuisse dicuntur illi, *p. 138 — 144.* Varia Magorum placita Graecorum et Arabum scriptorum fide cognita memorantur, *p. 144 — 149.* De Manete; alia obiter, *p. 149 — 151.* Syria primaria, ut videtur, Gnosticismi sedes. Proponuntur Saturnini, Bardesanis, Marcionis sententiae, quae maxime dualismum illum referunt, *p. 151 — 155.* Pauca de aliis sectarum auctoribus his subiiciuntur, *p. 155 — 157.*

CAPUT I.

DE

NOMINE ET AETATE DOCTRINAE GNOSTICAE.

Gnosticorum nomine haereticorum veterum genus quoddam comprehendere solemus, ex pluribus ac variis eorum sectis compositum, quarum dogmata memoriae prodita quum haud leviter inter se differant quidem et discrepent, doctrinae principia tamen et summa capita, in quibus tradendis omnes consentirent, natura sua ita sunt comparata, ut proprium et peculiare aliquid habeant, quo facile distinguantur et agnoscantur. Nomini ipsi vis et significatio inest rei consentanea, licet aliquamdiu minime eo tantum sensu inter Christianos usitatum fuerit, quo ad haereticos istos denotandos usurparetur. Etenim constat, vocabulo γνῶσις sicut omnino exprimeretur intelligentia seu veri perspicientia, ita, ubi de eorum, quae sola mente cernuntur, cognitione vel perceptione agebatur, aetatis, qua illi in lucem prodirent, philosophis frequentem praesertim eius usum fuisse:

intelligibilia vero considerandi vel potius animi oculis intuendi studio penitus occupatae erant illorum mentes, atque in eo solo, quod animum ad haec quaerenda elatum assequi ea posse sibi persuaserunt, et scientiae summa versabatur, et omnis fiducia et spes de praesentibus ac futuris erat collocata [1]).

Quum vocabulum illud animi habitum et affectum aliquem proprie significarit, adeoque

---

1) De vocabuli significatione v. quae e scriptoribus gentilibus et Christianis collecta sunt apud *Bruckerum in histor. de ideis, sect. I, §. 6 sqq.* et *Moshemium* in *institutionibus histor. Christian. maioribus, Saec. I, p. 333 sqq.* cf. *Suiceri thesaur. ecclesiast. s. v.* γνῶσις. In N. T. saepenumero absolute positum significat *notitiam eorum, quae ad religionem pertinent, rectam de rebus divinis sententiam.* Inter scriptores ecclesiasticos, quos patres vocare solemus, *Clementi Alexandrino* in primis usitatum erat, ubi de perfectiori religionis Christianae scientia disserebat, ad quam nobis comparandam meditando de illa exercitato et exculto ingenio perveniremus, enucleatas nimirum et explicitas eorum rationes continentem, quae omnibus divinam institutionem sequentibus cognita ceterum ac certa sint. Idem Clemens haereticorum decreta passim commemorans ac refutans declaravit, quo sensu isti divina intelligendi facultatem sibi arrogarent, v. *Stromat. l. II, cp. 3, ed. Potter. p. 433 sqq. l. V, cp. 1, p. 641 sqq.*, quae legens animadvertas, hanc eorum opinionem consentaneam fuisse iis, quae de animae natura et origine magnifice proderent. A scientiae

translato tantum sensu ad ambitum sententiarum quendam definiendum, sive sectarum aliquarum dogmata notione circumscribenda deflecti potuerit, facile intelligas, cur apud scriptores ecclesiasticos, qui haereses refutarunt, saepius tanquam cognitionem rerum sublimium prae se ferentes memoratos istos, quam Gnosticos diserte vocatos inveniamus, quamvis et singulis sectis, earumque conditoribus passim hoc nomen tribuisse videmus diversos auctores, vel propagatum ab iis dixisse, et potissimis, qui eo, utpote honorifico, se ornaverant, ordine enumeratis, ab *Irenaeo* et *Epiphanio* haud dubium relictum esse, qualibus commune fuerit [2]).

---

illius, qua fiderent, notione, mentibus eorum infixa, pendebant, quae de animae salute seu liberatione speranda praedicarent, pariter atque a gentilibus serioris aetatis philosophis et mysteriorum interpretibus, qui similia de anima docerent, deorum cognitioni seu arcanorum sacrorum initiis purgandi a sordibus eam, a necessitatis vinculis solvendi et immortalibus iungendi vis et effectus tribueretur.

2) *Irenaeus contr. haer. l. IV, cp. 6, §. 4, ed. Massuet. p. 234* falsam aliquam esse memorat sententiam, quemadmodum proposita sit *a Marcione, vel a Valentino, aut a Basilide, aut a Carpocrate, aut Simone, aut reliquis falso cognominatis Gnosticis. — Epiphanius, haer. 31, 1,* πάντες γνωστικοὺς ἑαυτοὺς ὠνόμασαν, Οὐαλεντῖνός τε φημὶ καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ γνωστικοὶ· ἀλλὰ καὶ Βασιλείδης καὶ Σατορνεῖλος καὶ Κολορβασὸς, Πτολεμαῖός

Consimilia invicem sibi cognataque aliquatenus esse eorum placita, non latuit ecclesiae doctores, ea, qua opus esset ad quaestiones difficiles tractandas et sententias insolitas diiudicandas, eruditione prae ceteris instructos, *Clementem* nempe τὸν στρωματέα et *Origenem*, qui ea inter se comparantes plerumque commemorarent ac refellerent. Alii imo certam quandam, singularum

---

τε καὶ Σεκοῦνδος, Καρποκρᾶς καὶ ἄλλοι πλείους. Ceterum sectam quandam *Gnosticam* κατ' ἐξοχὴν vocatam descripsit *Epiphanius*, *haer. 26*, et post eum alii, cuius mentionem factam apud antiquiores scriptores haud invenimus; e celebriorum aliqua serius enata esse videtur (v. *Augustin.* de haer. cp. 6), nomine eodem, quod cunctis solenne erat, dum unaquaeque illud sibi tribuere solebat, ideo forte nuncupata, quod alio sibi proprio ac peculiari carebat; sed explices hoc quo modo velis, communem omnibus nominis usum fuisse, propterea in dubium vocari non poterit; cf. *Moshemii Institutt. histor. Christ. maior. p. 335 sqq.* In universum nomina, quibus singulae distinguebantur, aut eo, quod ipsi sectatores, philosophorum scholas imitantes, a disciplinarum auctoribus atque principibus denominandis desumta ea sibi indiderunt, vulgata observare licet, aut ab adversariis opprobrio illis imposita esse, quod de iis praesertim valet, quibus, ad ritus sacros nempe seu vitae morumque cultum denotandum etymologico significatu spectantibus, minus insignes quaedam et adseclarum numero frequentes afficerentur; v. (*Münter*) *Versuch über die kirchlichen Alterthümer der Gnostiker, Anspach 1790, oct., cp. 1, §. 7, p. 54 sqq.*

sectarum quae fuerit coniunctio et cohaerentia, detegere sibi visi, conditores earum et principes alterum alterius schola edoctum fuisse tradiderunt, atque variarum disciplinarum, ordine, quo exstitissent, expositarum, quasi unius stirpis propaginum, communem auctorem *Simonem* illum, a Petro iam notatum, dein rumoribus pia credulitate auctis magis etiam famosum redditum praestigiatorem fecerunt; quod quomodo retulerint, et qua ratione confirmaverint, consideranti haud maxima tibi videbitur narrationis auctoritas 3).

Omnino quaerendum est, an *Simon* ille, et qui similia tradentes, atque ab illo proposita essent, dogmata aevo apostolorum inter Samaritanos et aliis locis prodierunt, Gnosticorum in numerum sint referendi, et quatenus recte ei adscribantur. Ab hac quaestione altera pendet de Gnoseos aetate nobis instituenda, i. e. de tempore, quo primo apparuerit, et quo conspicuus subinde exstiterit in ecclesia Christiana eius effectus.

Quum veterum de Simone iudiciis nodus non expediatur, ipsis dogmatibus eius in subsidium

---

3) Testis praecipui ipsis verbis metiamur eam; *Irenaeus l. I, cp. 27, §. 4, p. 106*, quum *Marcionis* mentione facta, omnes, qui quoque modo veritatem adulterarent, et ecclesiae praeconium laederent, *Simonis* magi discipulos et successores declaravisset, *quamvis non confiteantur*, ait, *nomen magistri, ad seductionem reliquorum; attamen illius sententiam docent etc.*

vocatis diiudicandum erit, de quo agitur. Dogmata vero, quae ab eo tradita *Irenaeus*, *Epiphanius* et *Theodoretus* [4]) non satis explicita quidem nec optimo ordine composita exhibuerunt, eiusmodi certe sunt, ut communi Gnosticorum ac notabili rationum genere distinctae, quam fuisse invenimus de Dei natura, de mundo, de anima opinioni respondere ea videas, memorabili tamen una se offerente discrimine eo, quod cum Christiana doctrina ille sua non coniunxit, sed alienus a Christi fiducia et spe in eo ponenda, seipsum imo, tanquam superne missum, salutis viam suis aperiturum esse praedicavit [5]). Gnosticorum nomine ergo *metaphysicae cuiusdam scientiae cultores* significare si volumus, *Gnosticus* erit dicendus *Simon;* sin autem, ut vulgo fit, *haereticorum Christi venerationem profitentium aliquod genus* nomine illo intelligamus, haud conveniet ei. Ceterum quod apud scriptores ecclesiasticos in Christianorum erroribus recensendis scita eius locum aliquem, nec infimum quidem, obtinuerunt, non solum eo, ni fallor, est referendum, ut haeresium

---

4) *Irenaeus l. I, cp. 23, p. 99 sqq. Epiphan. haer. 21. Theodoret. haeret. fab. l. I, cp. 2.* Multo magis perspicua et ab auctore ipso intellecta adsunt in *Recognitionibus* et *Homiliis Pseudo-Clementinis*, bono haud exiguo nobis futura, dummodo exploratum esset, quid de hisce libris omnino statuendum sit.

5) *Origenes contr. Cels. l. V, cap. 62, ed. Delarue Tom. I, p. 625.*

omnium originem non-Christianam probare hi voluerint, sive omnino ut res diversas non accuratissime distinguere soliti sint, quamvis nonnullorum iudicium revera talibus impedimentis obstrictum fuisse satis constat, sed inde etiam explicandum, quod Christianismi inter Judaeos progressus, multorum animis ad Messiae adventum exspectandum commotis, doctrinam suam exponendi et sectam condendi ansam illi dederat, quod ipse quondam Christianae religioni se addixerat, adseclae eius inter Christianos versabantur, quare in promtu esset, ut coetibus eorum sese immiscerent [6]), atque in suis instituendis, sive in doctrina tradenda similitudinem Christianorum sacrorum aliquam affectarent [7]).

Menander, Samaritanus, quem Simonis discipulum fuisse perhibent, item Christianus non fuit,

---

6) *Ex Eusebii Hist. Eccl. l. II, cp. 1* discimus, tempore huius nonnunquam factum esse, ut Simoniani, erroris sui propagandi causa, fraude in ecclesiam se insinuarent.

7) Simonem sententias suas proferentem Christiana quaedam dogmata tetigisse, sive dictis et phrasibus aliquibus Christianorum solitis usum esse, obiter memoremus. Sic v. c. iis, quae de animae migrationibus Helenae repraesentatione allegorica obscurata traderet, parabolam de ove perdita (Matth. 18, vs. 12 sqq.) adhibuit, v. *Beausobre histoire de Manichée et du Manichéïsme*, *Tom. I, p. 35 sqq.*, et praesertim *Tom. II, p. 324—29*, — ut de aliis eiusmodi, quae apud veteres legimus, minus perspectis taceam.

ut qui aeque ac ille, salutis hominibus afferendae causa divinitus se legatum gloriaretur [8]). Alia hactenus, quam utriusque huius, doctrina erat *Cerinthi*, qui circa Johannis Evangelistae aetatem in Asia vivens [9]), eiusdem generis metaphysicen Christianis dogmatibus nec non Judaeorum vel ἰουδαϊζόντων potius Christianorum placitis aliqua ex parte accommodatam tradidit [10]). Sectae eius

---

8) *Iren. l. I, cp. 23*, §. *5. Epiphan. haer. 22 etc.*

9) Narratiuncula de Cerintho apud Ephesum Johanni obviam facto ab *Irenaeo l. III, cp. 3*, §. *4, p. 177* allata, qualemcunque eam existimemus, certe idonea est, quae hominis inter veteres Christianos haud ignoti aetatem indigitet, ac regionem ubi commoratus esset, praesertim quum aliis indiciis confirmetur, quod ex illa colligimus. Varias de illa recentiorum opiniones attulit *Walchius*, v. *Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien Thl. 1, p. 255 sqq.* De chronologia et historia Cerinthi v. quae disseruit S. R. *Paulus* in *Introductionis in N. T. capitibus selectioribus*, *Jenae 1799. 8. p. 72 sqq.*

10) *Iren. l. I, cp. 26*, §. *1, p. 105, et l. III, cp. 11*, §. *1, p. 188. Epiphan. haer. 28. Euseb. Hist. eccles. l. III, cp. 28. Appendic. ad Tertullian. de praescriptt. haeret. cp. 48 etc.* Operae pretium foret singula ea recensere, quae de ingenio huius haeretici et placitorum eius convenientia et nexu erudite commentati sunt quidam inter nostrates praecipui in dogmatum historiae scientia; sed paucis, in talium dissensu quid verum nobis videatur, declarare, ne fines argumento libelli constitutos excedamus, sufficiat. Veterum testimonia nulla alia explicatione

disciplinam in regione illa, ubi suborta erat, in Asia, i. e. provincia Romana ex communi tunc

---

melius, quam ea, inter se conciliari atque coniungi posse mihi parsuadeo, qua Cerinthum a Judaeo-Christianismo progressum ad Gnosin illam convertisse animum statuamus, inhaerentibus tamen ei nonnullis, quibus antea imbutus fuisset, ac retentis, quae doctrinae Gnosticae principiis haud manifesto contradicerent. Etenim *Epiphanius l. c. §. 2*, indicans quoties ille Judaicarum superstitionum defensorem haud segnem egisset, cum dissensionis et controversiae Hierosolymis vel alibi apud antiquissimas ecclesias, libris sacris testantibus, eorum, qui, Judaismo plus iusto propensi, circumcisionis ritum observandum decernerent, sive de gentilibus in coetum Christianorum suscipiendis dubitarent, illiberali ardore excitatae singulas occasiones praecipuas enumeraret, seu vera omnino et explorata historica fide attulerit, seu, quod in enarrandis veterrimi haeretici factis haud mirandum esset, vulgi rumoribus aucta, sine dubio non ab omni veri specie, memoriae rerum gestarum propioribus videlicet, quam nobis, offerenda, adeo destituta proposuisse dicendus, ne ex eius narratione hoc saltem eluceat, e Palaestina Judaeo-Christianum hominem provenisse eundem illum, qui postea in Asia docuit, (auctore §. 2, memorabilibus quibusdam Judaismi eius documentis exhibitis, diversa eius vitae tempora in diiudicandis eius opinionibus distinguenda his verbis innuente: ἐποίησε δὲ τοῦτὸ Κήρινθος πρὶν ἢ ἐν τῇ Ἀσίᾳ κηρύξαι τὸ αὑτοῦ κήρυγμα καὶ ἐμπεσεῖν εἰς τὸ περισσότερον τῆς ἑαυτοῦ ἀπωλείας βάραθρον). Eodem referenda, quae apud *Eusebium* l. c. antiquiorum aucto-

consuetudine sic vocata (Asia proconsulari), itemque in Galatia admodum viguisse refert *Epipha-*

---

rum verbis descripta de Christo per mille annos terram regnaturo eius opinio exstat, Judaeorum hactenus commenta nimirum secuti. Gnosticum vero eum *Irenaeus I, 26* inprimis perspicue ostendit, quo teste, *non a primo Deo factum esse mundum*, docuerat, *sed a virtute quadam valde separata et distante ab ea principalitate, quae est super universa, et ignorante eum, qui est super omnia, Deum*, (quibus respondet Christologia in sqq. adiecta). Uberius sententiam de Cerintho Judaeo-Christiano, deinde Gnostico facto, quam nostram professi sumus, licet Rev. *Paulus* acumini debitam, apud ipsum V. Cl. pertractatam et eruditionis suae luce illustratam v. in *Introductionis in N. T. capitt. selectior. I et II.* — Aliam viam iniit Rev. *Schmidtius*, v. *Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. und ält. Christengesch. Bd. I, St. 2, p. 181 sqq.* Quaecunque in medium protulisset haereticus, ad Judaeo-Christianismum revocare studuit, Irenaei rationem de vi quadam divina Deo longo inferiori, quae mundum condidisset, ab isto conficta, collato Epiphanii §. 1, ubi idem munus ad angelos eum transtulisse dicitur, male intellecta Judaeorum angelologia et attributorum Dei per prosopopoeïam descriptione omnino nixam, ingeniose coniiciens. Inprimis sunt consideranda, quae de Dei perfectionis et efficientiae notione apud Orientales figmentorum per ambages exprimi solita p. 201 sqq. a V. Cl. animadversa et Rabbinorum sententiis ac phrasibus expositis, Gnosticismi simul respectu habito, probata sunt, nec dubitandum etiam, quin subtiliorem reconditioremque sententiarum et imaginum sensum et

nius, in libro adversus haereses composito, qui inscribitur *Panarium*, de vita eius atque placitis

---

nexum, in refutandis haereticorum rationibus, non satis bene semper intellexerint adversarii eorum quidam ad certandum promtissimi, quorum ab indole scilicet haud alienum esset, ut, symbolici sermonis ignari, tropos audacius conceptos verbotenus interpretando nubem interdum pro Junone captarent; quamquam Dei virtutes et actus symbolice adumbrandi consuetudo apud Gnosticos ad ea praesertim, quae de mundo intelligibili traderent, neque pariter ad cosmogoniam explicandam pertinuisse videtur, quippe cuius notio ad emanationis ideam potius, significatu proprio intellectae, et ad dualismum, sive austeriorem rigidioremque, seu mitioribus temperatum sententiis, referenda sit, a Philonis imo etiam, Alexandrinorumque Judaeorum ratione quodammodo discrepans, ut in sequentibus apparebit. In universum vero Viri Cl., sedulo ubique ea, quae historice cognita patres tradiderunt, ab iis, quae ipsorum ingenio aut minus accuratae rerum notitiae et intelligentiae debemus, distinguentis, de Cerintho sententia eo infringi videtur, quod Epiphanius, melior Irenaeo testis propter mundi creatores angelorum nomine (ceterum serioris aetatis etiam Gnosticis haud insolito) praeditos et alia quaedam ei peculiaria ab ipso habitus, in reliquis iis, quae ad Gnosticismum illius spectant, consentit cum Lugdunensi haeresiologo, quem sequatur, et §. 1 diserte imo Cerintho tribuit τὸ προσέχειν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ἀπὸ μέρους, dum, quae praeterea docuisset, a Carpocratis dogmatibus non differre affirmat. Quo modo illud ἀπὸ μέρους interpretandum sit, ab eodem, ni fallor,

disputans [11]). Sed quidquid de numero adseclarum eius et frequentia statuamus, in universum non apostolorum aevo, sed paulo seriori tempori adscribendum esse constat, quod scientia ista sublimis multis inter Christianos adamata, eo ipso, quod studiosius eam excolerent, familiaris quodammodo et vernacula facta est; quam Christianismo extrinsecus adnatam, seu insertam quasi et inculcatam fuisse dixeris, priusquam cum Christiana doctrina coalescere posset. Celebriores certe omnes Gnosticorum sectae secundo p. Chr. saeculo sunt ortae.

Nolumus singularum chronologia scrutanda et veterum de unaquaque testimoniis excutiendis comprobare, quod cognitum satis atque perspectum est. Haud supervacaneum tamen videtur, ut *Clementis Alexandrini* alicui dicto, quod quum diu vexaverit criticos, iam simpliciter, explicatu difficilioribus quibusdam praetermissis, ubi haeresium novitatem demonstrare volunt, praecipui docu-

---

paulo inferius, §. 2., significatur; verba enim εἰ — καλὸν τὸ μὴ μοιχεύειν, κ. τ. λ. considerans, ad generaliora legis Mosaicae praecepta moralia, ceteris neglectis, intentum fuisse haereticum colligo.

11) *Epiphan. haer. 28, 6.* Nihilominus secta non diu videtur constitisse, ut e sriptorum silentio haud temere argumentatur *Walchius*, v. *Ketzerhist. Thl. I, p. 268.* — *Nicolaitarum* sectam, Gnosticarum item antiquissimarum numero adscriptam (*Iren. I, 26, III, 11*), de qua multum a recentioribus disputatum, hic praetereo, infra de ea expositurus.

menti loco afferri solet, enodando et emendando operam navemus, et alia nonnulla, quae eodem spectant, generaliora, commemoremus atque illustremus. *Clemens Stromat. l. VII, cp.* 17, *ed. Potter. p.* 898, serius quam ecclesiam catholicam sectas exstitisse et haereticorum conventicula esse instituta (genuinae videlicet apostolorum disciplinae interpretes sese iactantium) probaturus, quum Christi aetatem computavisset, atque monuisset, apostolorum munera cum Pauli λειτουργίᾳ Nerone imperante fuisse consummata, haec subiicit verba: *κάτω δὲ περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ, τοῦ βασιλέως, χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας· καθάπερ* Βασιλείδης, *κἂν* Γλαυκίαν *ἐπιγράφηται διδάσκαλον, ὡς αὐχοῦσιν αὐτοὶ τὸν* Πέτρου *ἑρμηνέα· ὡσαύτως δὲ καὶ* Οὐαλεντῖνον Θεόδαδι *ἀκηκοέναι* (l. Θευδᾶ *διηκηκοέναι*, v. Potter. not. 6)· *γνώριμος δ' οὗτος εγενόνει* Παύλου· Μαρκίων *γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος, ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο· μεθ' ὃν* Σίμων *επ' ὀλίγον κηρύσσοντος του* Πέτρου *ὑπήκουσεν.* Haec legentes primum in eo offenderunt interpretes in temporum rationibus enucleandis curiosi, quod Marcion senex una cum Basilide et Valentino iunioribus vixisse, aut cum iis versatus esse dicitur, cum tamen, perpensis, quae de singulorum vita et doctrinae professione veteres tradiderunt, his illum iuniorem fuisse, probabile videatur, v. *Pearson. Vindic. Ignat. part.* 2, *cp.* 7, cf. quae *Walchius, Ketzerhist. Thl.*

I, p. 499 *sqq.* de Marcioniticae haereseos aetate notavit. Ad hanc chronologiae difficultatem accedit, quod sententia cum antecedentibus male cohaeret, quoniam ad orationis contextum haud convenit adversativa particula γὰρ, cuius loco concessivam potius ponendam fuisse, apparet; nam eo, quod Marcionem alteris illis priorem fuisse docetur, certe non confirmatur universa auctoris ratio. Impeditissimus autem nodus in sequentibus exstat; neque enim Petrum apostolum praeeunte Marcione audivisse Simonem historiae ecclesiasticae mediocriter peritus aliquis crediderit, neque contrarium eius narrare voluisse Clementem dixerimus, cuius probandi causa singula talia enumeraret, praesertim cum commemoratis iis, quod ipsum evolventi videre licet, iteraverit statim, argumentum concludens, quae de haeresibus sero ortis antea affirmasset. His tricis ut sese expedirent, varia tentaverunt interpretes, quorum coniecturas et opiniones, a *Pottero not. 7 ad h. l.* et *Moshemio* in *dissertt. ad hist. eccl. pertinent. vol. II, p.* 115 *sqq.* allatas, nolo iterum recensere, quum nulla tamen, animadvertente etiam *Moshemio*, sit totius loci explicatio, quae non difficultatibus suis laboret, sed unaquaeque sive quod historiae temere aliquid additur, rationibus eius non optime conveniens, sive, quod longis parenthesibus inculcatis narrationis series interrumpitur, nec inde quidem sensus maxime concinnus evadit, aliquid incommodi habeat. Equidem, quod attinet ad

Marcionem, verba ὡς πρεςβύτης νεωτέροις in ὡς πρεςβύταις νεώτερος facillima emendatione mutanda esse, ab *Isaaco Vossio* edoctus, textum, haud magno negotio, sic restituendum esse putaverim:

> Μαρκίων γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος, ὡς πρεςβύταις νεώτερος συνεγένετο· ὁ μὲν οὖν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν. [12]).

Litteram O, eadem antecedente, a librario facile omitti potuisse, et vocum μεν-μετ', ον-ουν mutationem in mss. esse frequentissimam, non est quod moneam palaeographiae gnaros. Sensus totius loci sic emendati hic erit: *Circa Hadriani regnantis tempora vixerunt haeresium inventores, et usque ad Antonini natu maioris aetatem pervenerunt, sicut Basilides, etiamsi Glauciam sibi adscripserit magistrum, Petri interpretem, ut ipsi gloriantur; similiter Valentinum dicunt Theodam audivisse, qui Pauli fuit familiaris; Marcion enimvero, qui eadem aetate viveret, qua et illi, cum senibus iunior versatus est* (i. e. Marcionis antiquitatis auctoritatem prae se ferentis, utpote iunioris, ne mentio quidem habenda). *Simon sane quidem per breve aliquod tempus Petrum praedicantem audivit* (quod in transitu cum animadvertisset Clemens, non erat, ut in eo explicando immoraretur, quoniam vulgo credeba-

---

12) Malim tamen ἐπήκουσεν cum Dodwello legere.

tur nec ambiguum habebatur, Simonem deinde a Christiana religione descivisse; sed ad conclusionem summae eorum, quae retulisset, annectendam pergere poterat).

Huic Clementis testimonio comparanda sunt, quae de haeresium aetate in universum spectata notavit *Hegesippus* apud *Eusebium*, *H. E. l. III*, *cp.* 32. Tempore enim illo, quo apostoli vita iam essent defuncti et praeteriisset hominum eorum aetas, quibus praecepta divinae sapientiae praesentibus audire contigisset, haereses ortas, inquit, et quum antea integra et incorrupta, virginis instar, fuisset ecclesia, in recessu quodam obscuro et ignoto delitescentibus iis, qui forte iam tum praedicandi evangelii sanam regulam pervertere tentarent, deinde, nullo iam ex apostolis superstite, errorum auctores audacius prodiisse et gnosin suam ψευδώνυμον in medium protulisse.

Quodammodo etiam huc referenda esse videntur, quae de haeresibus recens ortis *Tertullianus* in libro *de praescriptione haereticorum*, *cp.* 29—34, copiosius, ut foecundo ingenio amplificare talia et exornare soleret, disseruit, eosdem haereticos impugnans, quorum vanam scholae suae antiquitatis iactationem a Clemente reprehensam vidimus. Marcionis, Valentini aliorumque eiusdem generis decreta, eo effecta, quod a doctrina apostolorum, libris sacris tradita, et apud antiquissimas quidem ecclesias, antistitum primorum nominibus celeberrimis al-

latis originem ordine continuo ab iis deducentes, sincere conservata, isti declinarent, subinde exstitisse, sicut imago, veram rei speciem secuta, posterior ea non esse nequeat, illi postponenda, ipsorum rationem investigando et auctorum historiam examinando, per inductionem probare studuit, et quum disciplinam eorundem, externae seu internae eius conditionis respectu habito, apostolicam recte vocari negavisset, eorum, qui apostolorum in libris notati essent, singulorum errorum, comparatione cum dogmatibus sui temporis haereticorum instituta, in nonnullis quidem haec cum illis convenire animadvertit, in aliis plane nova ea offerri, omnino autem sive eadem, quae tamquam falsa olim essent reiecta, e rudioribus scilicet ac minus comtis paulo expolitiora et ornatiora iam facta, sive natura diversa potius ab illis sint dicenda, et aliquibus tantuminodo ex eorum penu desumtis aucta et locupletata, perinde ea esse repudianda.

His patrum testimoniis cum iis, quae de Gnoseos vestigiis antiquissimo historiae Christianae aevo iam apparentibus supra observavimus, collatis eo adducimur, ut minora et levioris momenti eius initia fuisse coniiciamus, quin ab iis, quibus progressus eius ante oculos versabantur et incrementa ecclesiae valde incommoda, respicerentur vel notatu digna existimarentur, licet non fidem eorum omnium, quae de hominibus singulis Christianis apostolorum aetate vi-

ventibus, vel sectis etiam tunc suborientibus Gnosticorum opinionibus deinde generatim vocatorum deditis veteres retulerunt, propterea tollere debere vel suspectam reddere posse nobis videamur [13]).

---

13) Faciliorem, quae repugnare sibi videntur, testimonia conciliandi modum quam eum equidem non invenio, ut coniectemus, antiquissimo aevo apud nonnullas, Asiae minoris praesertim, ecclesias qui insurgerent homines erroribus istis addicti, sententiarum studiorumque consensionis arctiori quodam vinculo inter se iunctos, nec tamen a ceterorum Christianorum communitate discretos proprie et separatos fuisse. Maiora quam haec, veterum locos eos praesertim, quos postremo memoravimus, ante oculos habens, iis probari ac effici posse sibi persuasit *Tittmannus* v. *Tract. de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis*, *Lips. 1773*, *8. p. 9—31;* primo p. Chr. saeculo nullos adhuc fuisse Gnosticos, copiose et eleganter disputans demonstrare studuit; ceterum sententiam suam explicandi causa p. 249 antecedentibus haec adiecit: *nolumus quidem infiecias ire audacius, fuisse, qui ante haec tempora in multis opinionibus cum Gnosticis conspirarent, quod nec Tertullianus negavit, de praescr. haer. cp. 33, neque aliter esse potuit, cum non ipsi suarum opiniuncularum essent auctores, sed plerasque ab aliis acciperent et ad suum tantum arbitrium fingerent; — illud modo volebamus dicere, ante saeculum secundum Gnosticorum neque nomen, — neque peculiarem aliquam — haeresin fuisse etc.*

CAPUT II.

EXAMINANTUR

LOCI NOVI TESTAMENTI

QUI

AD GNOSTICORUM ERRORES SPECTARE DICUNTUR.

Alia iam inde oritur quaestio, ipsi quidem libri sacri an aliqua contineant ita explicanda, ut ad Gnosin illam sententiarum quodam nexu intercedente referantur. Quum propositum mihi non sit, de N. Ti auctorum ingenii indole, de consilio quo unusquisque eorum scripserit, et de scribendi genere iis proprio disserere, neque quomodo notionum Christianismo peculiarium significationes oratione saeculo suo usitata et eorum, quos edocerent, intellectui accommodata exprimerent, investigare, praetermittam illa eorum dicta, quae, similitudinis et cognationis sive antitheseos quadam specie oblata, e longinquo, ut ita loquar, ad Gnosticismum spectare nonnullis interpretibus visa, eorumque tantum

mentionem faciam, quibus errores aliqui diserte notati sunt, quales cum Gnosticorum erroribus comparare in animum duxeris [1]).

---

1) Legem ac regulam librorum sacrorum interpreti hancce quaestionem instituenti in universum sequendam qui demonstret, ac moneat Hebraeorum linguae idioma, et sermonis naturam inprimis considerando studiose cavendum esse, ne exemplum eruditorum quorundam imitemur, sine ratione sufficiente lucem, quam N. Ti libris allaturi essent, ex haeresium historia petentium, seu adhibitis vocabulis, verborum significationibus, et phrasibus nonnullis apud haereticos serius usitatis, manifesto e N. T. imo desumtis vel ad similitudinem eius orationis effictis ipsius clariora reddere dicta volentium, valde idoneus est *Tittmanni* liber, quem modo memoravimus. Quod attinet ad ea, quae relatione aliqua indirecta spectare ad Gnosticorum opiniones dicuntur, eruditorum de *Johannis evangelio* quaestiones inprimis sunt notatu dignae. Inter exegetices, quam vocamus, doctrinae cultores nostra memoria celebriores B. *Storrius* id habebat, ut errorum, quales nonnullis locis respexisse videri posset evangelista, genere universo indicato haud contentus, singulam imo Gnoseos speciem, quae evangelium (sicut etiam epistolam primam) scribentis animo eius obversata esset, distinguere vellet, dum narrationem (vel coniecturam potius) *Irenaei*, *l. III*, *cap. 11*, sequens, *Cerinthum* illum (una cum *falsis Johannis baptistae discipulis*) refutandi consilio *praecipuo* calamum sumsisse eum contendit, praeterea evangelia prius conscripta suo addendis quibusdam e Servatoris historia supplere vo-

In pluribus Pauli epistolis falsa quorundam praecepta moralia sunt reprehensa e similibus certe, atque Gnosticorum, de animi natura propositionibus derivanda, quare fieri potuit, ut Gnostica auctorem tetigisse existimarent interpretes, ac perinde Gnosticorum scita et argute meditata iis, quae adversus tentamina de rebus sacris philosophandi aliqua, Christianae doctrinae gravitati et candori haud consentanea, sive adversus hominum ad commenta sua invitae ei inculcanda proclivium vana studia breviter et concise, ut de satis nota re, monita in iisdem scriptis leguntur, petita esse crederent. Accuratius ta-

---

lentem, v. *Ueber den Zweck der Evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis*, *Tübingen 1786. 8. Vorrede*, *et* §. *52*, *p. 235 sqq.* Magno eruditionis apparatu hanc opinionem suam exposuit ac defendere aggressus est. Attamen nec satis certis rectisque de Cerintho praemissis eam niti, neque cum ipso evangelii argumento optime convenire apparet, luculenter hoc probante Rev. *Paulus* in *Introd. in N. T. cpp. select.* — Alio sensu in prologi evangelii Johannis scopo ac fine illustrando Gnosticorum placita commemoravit *Herderus;* qui quum id ageret, ut saeculi natura pervestigata scriptoris mentem et animi indolem penitius perspectam redderet, notionum ambitum definiturus, sententiarum rationem et nexum persecuturus eiusmodi quaedam in subsidium vocavit, longe ab eo alienus, ut magna et ampla minutis metiendo, quae late paterent atque ad omnes Christianos pertinerent, angustioribus significationum limitibus restringeret.

men singula loco suo et ordine dicta considerantes dignoscere si volumus, quorum inventa et decreta auctor ante oculos habuerit, a Judaeorum potius quorundam philosophia, qualis, haud leviter mutatis inter variorum populorum consuetudinem ingeniis suborta, aetate illa in scholis nonnullis traderetur et excoleretur, quam a Gnosticismo proprie vocato repetenda ea esse apparebit.

Sic v. c. *in prima ad Timotheum epistola* cp. 1, vs. 3, 4, quae leguntur: μὴ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, ἅτινες ζητήσεις παρέχουσι κ. τ. λ., de Judaeorum opinionibus et figmentis intelligenda esse videntur (cf. Tit. 1, vs. 14 et 3, vs. 9), quia in proxime sequentibus eorum, qui νομοδιδασκάλους se profiteantur, vaniloquentiam perstringit apostolus, addendo illud, ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, quo in aliis epistolis nimio legis Mosaïcae studio captos profligare solet. Et infra, cp. 4, quum permissum a Deo et humanae naturae convenientem huius vitae bonorum usum splendido cupiditates vincendi nomine prohibentium errorem praecipuum significare eum videamus, a quo inter Christianos discipuli sui antistitis curae commissos propagando cavendum esse velit [2]), talesque istos

---

2) In antecedentibus Timotheum varia, quae in munere gerendo essent observanda et sequenda, edoctum et monitum, declarans consilium cohortandi, cp. 3,

distincte describere, qui falso corporis odio ducti nuptias interdicant et in cibis capiendis abstinentiam exercendam iubeant, *Essenorum* potissimum praecepta et consuetudines in men-

---

vs. 14, 15, quum ita allocutus esset, ut ad doctoris Christiani et ecclesiae ministri officium gravissimum considerandum eius animum dirigeret, summam τοῦ εὐαγγελίου paucis verbis comprehensam enuntiaverat (transitu facto per metaphoram οἴκου Θεοῦ, cui responderet in sequenti commate στύλος καὶ ἑδραίωμα, de quo v. quae observavit *Heinrichsius* in *Koppiana ed. continuata vol. VII, not. ad h. l.* Arridet Rev. *Paulus* coniectura, ex hymno aliquo formulam desumtam esse, quam vero a verbis ὅς ἐφανερώθη ordiri putaverim. Cf. V. Cl. *Memorabilien, St. 1, n. 6, p. 97 sqq.*). Inde ad errores istos perniciosissimos eo testandum perrexerat, ut Christianorum de ultima rerum conversione imminente praesagia iis in medium prolatis iamiam impleri diceret. Post verba ἀνελήφθη ἐν δόξῃ equidem aposiopeseos signum posuerim; nam sicut versum 16 cp. tertii, verborum stuctura et sententiarum ordine considerato, non a sequentibus pendere mihi persuadeam, ita haec cum illo tamen cogitandi aliquo nexu cohaerere videntur; quare inter sententiam illam: *Christus, qui humanam conditionem subeundo advenerat — maiestate divina in coelum evectus est*, et ea quae deinde leguntur, forte: *quid vero de iis dicam, qui, animo vane elato, humana contemtui habent!* — vel simile quid supplendum.

tem nobis revocantur [3]), quippe quae nonnullis fortasse Christianam religionem etiam professis nondum exolevissent [4]).

---

3) Singula, quae ad vitae morumque habitum animique in rerum divinarum contemplatione exercendi cultum pertinerent, *Essenorum* praecepta, explicandis Pauli epistolis adhibenda descripsit *Michaëlis, Einleitung in die Schriften des Neuen Bundes, Thl. II*, §. *186.* Decreta illorum et instituta profecta erant ab opinione: Φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα καὶ τὴν ὕλην οὐ μόνιμον αὐτοῖς, τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν, καὶ συμπλέκεσθαι μὲν, ἐκ τοῦ λεπτοτάτου φοιτώσας αἰθέρος, ὥςπερ εἱρκταῖς, τοῖς σώμασιν ἴυγγι τινι φυσικῇ κατασπωμένας· ἐπειδὰν δὲ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπηλλαγμένας τότε χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι, κ. τ. λ. *Joseph. de Bello Jud. l. II, cp. 8, ed. Haverkamp. Tom. II, p. 164.* Josephi, Philonis, Plinii etc. de Essenis locos integros transscripsit *Prideaux*, v. *Altes und Neues Testament, Dresd. 1771, Bd. II, p. 307 sqq.* Dogmata eorum systematis ordine exposita et diiudicata v. in *Henke's Magazin für Religionsphilos., Exeg. u. Kirchengesch. Bd. IV, St. 2, n. 16, p. 371 sqq.*

4) Γενεαλογίαις illis, quibus μὴ προςέχειν iubentur nonnulli cp. 1, vs. 4, angelorum genera, ordines et munera significari ab Essenis descripta (quorum inter arcana referebantur τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα, v. *Joseph. l. c. p. 163*, cf. *Henke's Magaz. l. c. p. 383, not.*, nomina mystica sine dubio, seu ab

Similiter *epistolae ad Colossenses capite secundo vs.* 8 *sqq. vs.* 16 — *cp.* 3, *vs.* 3 homines quosdam Judaïsmo deditos, qui ritibus et ceremoniis lege Mosaïca institutis, Judaïcisque decretis externum vitae cultum praecipientibus intente observandis acquirendam sanctitatis laudem Christianis commendarent, propterea etiam vituperatos invenimus, quod rigidiore in corpore tractando disciplina excolendum animum vel ad divina erigendum curaverunt (cp. 2, vs. 23) [5]).

In *prima Johannis epistola*, ad vs. 2dum, cp. quarti cum animum advertas, aliorum simul quo-

---

ipsis inventa, seu recondito sensu ornata), verisimilius est, quam ad enumerationem avorum proavorumque, qua Judaei, stirpis ab antiquissimo inde tempore deductae memoriam conservare cupidi, delectarentur, illam vocem spectare, quum Judaeo-Christianorum genere fretorum, genteque sua distincta ceteris sese anteponentium superbiam repressurus, aliis, quam hic leguntur, argumentis disputare soleret apostolus. — Ceterum in moribus eorum descriptis, quorum exemplum vitandum esse moneret, nonnulla non Essenorum sectae, sed singulis istis esse imputanda, patet (v. cp. 4, vs. 2), quamvis eosdem qui sanctimonia male intellecta fines humano ingenio natura praescriptos egredi conarentur, in pessima haud raro flagitia incidisse, omnium temporum experientia docet.

5) De quorum doctrina, quali et quomodo orta, exposuit Ill. *Eichhornius*, *Einleitung in's N. T. Bd. III*, *1te Hälfte p. 292 sqq.*

rundam, quae in ea leguntur, respectu habito, Gnosticorum opiniones refutatas deprehendere non sine ratione ac veri specie existimaveris. L. c. enim ubi vitandos esse monuerat, qui falso religionis doctores se profiterentur, et caute ab iis distinguendos, quorum doctrina vere a Deo profecta esset, πᾶν πνεῦμα, inquit, ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ Θεοῦ ἔστι, κ. τ. λ. [6]), quod si ita interpretaris, ut σὰρξ significatu primigenio ac proprio de corpore intelligatur, et ἔρχεσθαι ἐν σαρκὶ sit: venire in corpore, vel nasci cum corpore (sensu in orationis contexta prorsus eodem, quasi dixisset, in terra, sive in hoc mundo viventem habuisse eum corpus), adversus eos directum esse videbitur, qui cum de divino illo ita sentirent, ut ipsum humanae imbecillitati subiectum animo comprehendere non possent, simulata humani corporis specie indutum edocendi homines et emendandi causa Christum adfuisse opinarentur, pati morique visum. Mature in antiquis ecclesiis, et quidem iis, quibus instituendis et gubernandis Johannem aetate provectiorem operam navasse a proximis memoriae primorum temporum Christianis posteris traditum, τῆς δοκήσεως errorem

---

6) Cf. Johannis epistolae secundae vs. 7, quo πλάνους adesse multos memoretur, μὴ ὁμολογοῦντας J. X. ἐρχόμενον ἐν σαρκί.

esse subortum vulgatumque, aliis praeterea indiciis satis compertum est [7]). Explicatio vero illa l. c. etiam cum epistolae auctoris rationibus in universum consideratis praeceptorumque quorundam argumento, ac fine, quem spectant, haud male convenire videtur. Docetarum nempe opinio de Christo a notione divini numinis subtiliori, imo argutiori, qua ab omni rerum inferiorum similitudine non solum, sed nexu etiam removeretur, profecta [8]), coniunctam sibi et sociam

---

7) *Ignatii* nimirum *epistolis* significatum, quas spurias equidem dicere non ausim, licet interpolatas; sed ponamus etiam, non ab ipso profectas eas, haud temere nihilominus Asiaticarum ecclesiarum, quales tempore apostolorum aetatem subsequente fuerunt, notitiam aliquam inde percipere posse speraveris, quum falsa omnino esse, ad quae tamquam gesta et historice nota illae referuntur, probabile non videatur. V. quae de hac re observavit auctor dissertationis inscriptae: *Versuch einer Einleitung in den 1ten Brief Joh.* in *Schmidt's Biblioth. f. Kritik etc. Bd. I, St. 1, p. 71 sqq.* Cf. *Henke's Magazin f. Religionsphilos. Bd. III. p. 91 sqq. Ignatii* loci praecipui, *ep. ad Ephesios* §. *7*, §. *18. ad Trallianos* §. *9*, *10. ad Smyrnaeos* §. *1—8.*

8) Ceterum *doceseos* error (quem constat non singulae unius sectae proprium ac peculiarem, ut *Clementis Alexandr. Stromat. l. III, c. 13, p. 552 ed. Potter.* legens facile quis coniiciat, sed plurium communem fuisse) non ubicunque eius vestigia occurrunt necessario e Gnosticorum de animae et rerum corporearum natura decretis tamquam principiis deri-

habebat doctrinam de anima, quae supra humana efferendo eam utpote Deo cognatam et τὸ θεῖον cognitione complectentem, in morum principiis statuendis et vitae ratione ineunda alio atque alio modo a veri rectique scopo aberraret, sive insitam animae et quasi innatam sanctitatem, morum integritatem habitumque Deo placentem ostentaret, seu peculiarem quandam et propriam

---

vandus esse videtur, (licet eiusmodi etiam doceseos in *Ignatianis* reprehensae indicia exstent, v. *ep. ad Ephes.* §. *7. 8. ed. Coteler. p. 13*), cum a sententia plurium imo eorum etiam profectus esse potuit, qui non tam ab humanis omnino in Deum vel divinitus missum transferendis ingenii indole alieni essent, quam in eo offenderent, quod iniqua perpessus, necique ignominiosae fuerat subiectus, quam ob causam forte seu in universum eo fine, ut mysterium de Dei Filio homine facto secundum rationes suas perspicuum redderent, ad gentium cogitata de numinibus sive animis coelestibus rerum humanarum cura in terram deductis doctrinam de Christi adventu accommodarent. Sic e. g. quae Judaeis haud insolita illa aetate de angelis humana specie interdum ostensis esset opinio, a nonnullis ad Christiana sacra transgressis adhibita ea Christologiae illustrandae esse factum, ut de Christo non vere homine dogma effingeretur et excoleretur, non omnibus nimirum, ut satis constat, de Messia e stirpe Davidica oriundo tunc aeque sollicitis, probabiliter conieceris (cf. *Schmidtii Handbuch der Kirchengeschichte Thl. I, p. 157* et *Versuch einer Einleit. in den 1sten Br. Joh. l. c. p. 74*). Magis vero, quam inter Judaeo-Christianos quos-

praestantia naturae suae et originis nobilitate fretae illi iusti et boni viam muniendo ac honesti regulam proponendo efficeret, ut indifferentia existimarentur morali lege et communi vel hominum sensu praescripta aut prohibita [9]); dogmate Christiano de salute praeterea et peccatorum remissione ita expolito et explanato, ut nativam vim et significationem amitteret. Huiusmodi disciplinae praecepta quum inter eos pervagarentur, quorum animos religione imbuendos curaret Johannes, Christianismi principia in mentem iis revocanda et summa eius capita quaedam commemoranda erant, unde eluceret, qualis esset eius natura, et quorsum tenderet. Exordio igi-

---

vis, Ignatium, quotiescunque disputet ad illud dogma, e genere Davidis provenisse Christum singulari quodam cum verborum momento affirmare animadvertenti (v. *Ephes.* §. *18*, *Trallian. 9*, *Smyrn. 1*) inter Christianos a gentilitate profectos eius auctores quaerere in promptu est. Graecorum fabulae de diis hominum similitudine et specie adsumta humana negotia invisentibus nemini ignotae.

9) Haud paucis inter Gnosticos crimini datum invenimus, quod praestigiis istis occaecati sanae morum disciplinae contraria praeceperint et inhoneste vixerint. Nihilominus autem non plurimarum decreta sectarum, nedum principia Gnoseos universae natura ea fuisse, quibus admissis actiones eligendi qualescunque licentiae effrenatae via panderetur, ipsorum ratio docet, de quibus infra expositurí sumus.

tur epistolae, ubi verissima, exploratissime percepta et cognita sibi esse affirmaret, quae de Christi adventu discipulis tradidisset, fortasse magnificas istas et speciosas magis quam veras et humanae menti consonas de Deo ab omni rerum visibilium contactu alieno, aeternitatis abysso latente disputationes ante oculos habens, ut materiam iis praecideret, simul innuit, *aeternum illud eo ipso, quod, more humano agnoscendum sese hominibus dedisset, vere iis patefactum, et mentibus eorum esse informatum* [10]), et deinde, de necessitudinis vinculo inter Deum et homines intercedente postquam locutus erat (cp. 1, vs. 3), singula respiciens, quae attigimus, commenta ingenii altioribus se immergendi libidini freno laxato temere supra iustum et naturae consentaneum in aestimando res divinas et humanas modum et finem servandum evecti, in sequentibus adiecit: *Animum Dei cognitione vere imbutum*

---

10) Cp. 1, vs 1: Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν κ. τ. λ. et vs. 2: ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν, cf. Prologum Ev. Joh., praecipue vs. 14 et 18. Minime tamen cum nonnullis interpretibus illud ὃ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, vs. 1, verbotenus accipiendum esse putaverim; noluit tam palpabili argumento Verbum divinum hominem factum demonstrare Johannes; ipsum dixeris, ne ita intelligeretur, statim adiectis verbis περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς indigitasse, quo tendat metaphora.

in caritate cerni et obsequio in praeceptis observandis ei praestito (cp. 2, vs. 3—11, et aliis locis). *A nobis, qui benignitate eius filii Dei habeamur, nondum perspici, quales aliquando simus futuri; cognitum vero nobis esse, quum declarandum sit, quod adhuc ignoremus, tunc similes nos eius fore, utpote qui visuri eum simus et veram eius naturam comprehensuri, quod sperando erectum quemque moribus emendandis operam esse daturum et integrum se praebiturum, ipsius Sanctissimi memorem* (cp. 3, vs. 2—3). *Justitiae autem regulam relinquendo forte, aut iustum imo ab eo, quod sit legi divinae conveniens, ficto discrimine distinguendo quum haud minus perverse ageremus et Dei institutis contraria decerneremus* (cp. 3, vs. 4—8, cf. cp. 1, vs. 6), *quam vitiis nos omnino carere existimando errararemus et nos ipsi falleremus* (cp. 1, vs. 8, 10), *animum Deo iunctum et deditum* [11]) *ita potius esse affectum, ut sensu intimo ac sibi proprio ad virtutis principium ac legem sequendam compellatur* (cp. 3, vs. 9 sqq.); *infirmitati vero humanae Christum, qui iustum se praestitisset, opitulatum esse, cum propter eum peccata hominibus sint remissa* (cp. 1, vs. 9, cp. 2, vs 12).

Sed haec omnia eo, quod congruere videntur sententiae sive coniecturae nonnullorum de

---

11) τὸν γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ.

epistolae auctoris consilio ab interpretatione commatis secundi cp. 4. supra memorata profectae, quamquam speciosam ipsam et verisimilem reddere possunt, nihilominus ne calculum ei adiiciamus, aliis quibusdam in rationem vocatis prohibemur. Etenim cp. 2, vs. 22 sqq. praecipuum, ad quem disputaret auctor, eorum errorem indicatum invenimus, qui *negarent Jesum esse Christum*, sive *Filium Dei*. Quod si per se spectatum fortasse sensum aliquem admiserit improprium, quo de Docetis dictum videri possit, in sequentibus iterum iterumque repetitum (v. cp. 4, vs. 15, cp. 5, vs. 1, vs. 5), et confirmatum (cp. 5, vs. 6 sqq.) primarium Christianae religionis dogma legens tamen non dubitabis, quin cum iis fuerit Johanni controversia, qui salutem hominibus per Jesum partam negarent, sive Judaeos in animo habes, qui Messiam haud agnoscerent eum; *apostatas* illos satis aperte declaravit cp. 2, vs. 18, 19, 22. Plures autem variorum et diversi generis falsas opiniones de Christo ante oculos eum habuisse, aliamque alio epistolae loco significasse, propter aequalem ubique argumenti tenorem haud probabile videtur. Quamobrem formulae c. 4, vs. 2 exhibitae aliqua quaerenda est explicatio, qua referatur ad eundem errorem illum alibi notatum [12]). Facillima et singulorum

---

12) Copiose hoc probavit Ill. *Eichhornius*, v. *Einleitung in's N. T. Bd. II. p. 287 sqq.*

naturae verborum potissimum conveniens, ni fallor, haec est: ἔρχεσθαι, *advenire*, secundum contextum idem, quod ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον, Joh. 1, vs. 9 et aliis locis; brevis haec locutio analogis exemplis illustratur, v. Galat. 3, vs. 19, nisi etiam id respicere volumus, quod vocabulum, dum exprimebat Hebr. בוא (eo scilicet significatu, quo de imminentibus seu exspectatis usurparetur), in Messiae adventu describendo solenne erat factum. ἔρχεσθαι ἔν τινι; venire *cum* sive *in* aliquo; conditionem indicat venientis, v. 1 Cor. 4, vs. 21, Rom. 15, vs. 32. σάρξ, secundum Hebraism. *corpus*; deinde sensu translato nonnumquam, verborum contextu ita ferente: *conditio humana* in universum spectata; e. g. ep. ad Hebr. cp. 5, vs. 7, ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ — ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν. Eodem pertinet ἐν σαρκὶ ζῆν, περιπατεῖν, vitam humanam, conditionem hominis in hoc mundo viventis quod significat, v. 2 Cor. 10, vs. 3, Galat. 2, vs. 20, 1 Petr. 4, vs. 2, adiuncta, ut singuli hi loci attentius inspecti docent, notione imbecillitatis humanae. Proinde ἔρχεσθαι ἐν σαρκὶ est: *im menschlichen, irdischen Zustande erscheinen*, adeoque phrasis illa: πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ I. X. ε. σ. ε. etc., affirmationem Messianae Jesu dignitatis continet, haud otiosis vero aut superfluis verbis ἐν σαρκὶ, quatenus infirmitatis notio iis inest; nam id ipsum, quod iniquam sortem expertus necemque crudelem Jesus perpessus erat, homines istos, quos

Johannes refelleret, eo adduxisse videtur, ut divinitus missum eum negarent; quod e cap. 5, vs. 6 colligo, ubi baptismatis Jesu et mortis, utpote quibus Messias esset exhibitus, mentione facta, graviter et significanter iteratum invenimus, *non in baptismate solum* (splendida illa apud Jordanum divinae eius auctoritatis declaratione), *sed etiam in supplicio cruento subeundo Messiam esse eum comprobatum.* Quales vero fuerint hi crucis inimici, utrum iis annumerandi, quibus σκάνδαλον, an iis potius, quibus μωρία esset crucis mysterium, diiudicare iam nolo [13]),

---

13) Dubitando an e Judaeis, an e gentilibus Christiani facti fuissent illi, apostatae qui sunt ab auctore descripti, haud plane inutilem quaestionem moverunt, epistolae interpretes, aut alienam a proposito, quamquam ipsius argumentum nihil habere videtur, quod te adducat, ut instituas eam, aut solvere eam volenti tibi sufficiat; neque enim inde, quod e medio suorum progressos illos dixit auctor, satis aperte consequitur, Judaeo-Christianos eos fuisse (v. cp. 2, vs. 19: ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, κ. τ. λ. — ἵνα φανερωθῶσιν, ὅτι οὐκ εἰσὶ πάντες ἐξ ἡμῶν, quae de Christianorum communitate, ni fallor, sunt intelligenda), nec eo solo forte, quod epistolam concludens lectores monuit, abstinerent se ἀπὸ τῶν εἰδώλων, probaveris, ad deorum cultum illos, unde profecti fuissent, rursus inclinasse; cf. quae de hoc loco observavit Ill. *Eichhornius, Einleitung in's N. T. Bd. II., p. 292.* Ceterum nescio, an omnino de gentilium simulacris explicandus sit, neque potius

sicut etiam, quae praeterea eorum dogmata fuisse, epistolae argumento ductus coniectare aliquis possit, quaerendo ulterius hanc disputationem extendere non in animo mihi est [14]). Id quidem deprehendere mihi videor, sententiarum nexum et ordinem haud permittere, ut cum interpretibus nonnullis statuamus, falsa illa de honesto iudicia, decreta improba et mala consilia, quae partim vituperando aperte indicavit scriptor, partim opposita iis virtutis principia semel iterumque confirmando ac stabiliendo significavit,

---

εἴδωλα, quae Johannes dispellere studuit, vocabulo ex antithesi verborum antecedentium οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς metaphorice intellecto, ea fuisse dicendum, quae humanum ingenium, probabiliter de rebus divinis dum fingit notionum imaginibus illusum, captare solet (ἡ φιλοσοφία — κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν); quae copiosius disserens confutavisset, in valedicendo breviter ac nervose sic decripta complecti eum voluisse, a scopo eius haud alienum videtur. Explicationem illam prius memoratam locum non habere, propter unanimum, quantum equidem scio, interpretum consensum temere affirmare non ausim; utra graviorem et ad totius epistolae argumentum magis concinnum efficiat sensum, doctioribus me diiudicandum relinquo.

14) Gnosticorum placitis similia quodammodo et cognata illos proposuisse, praeter alios existimavit doct. *Zieglerus*, v. *Henke's Magazin f. Religionsphilos. Bd. VI, St. 2, n. 16, p. 273, 274.*

ab errore theoretico, quem refelleret, notione ita secernenda et seorsum consideranda esse, quasi cum hoc omnino nihil iis commune, neque iisdem, quibus hic, sed aliis qualibuscunque, ipsorum, ad quos scripsit, puta, quibusdam, auctoribus tribuenda et vitio danda sint [15]); licet nesciamus, quatenus eius praecepta non solum, sed etiam prohibita ab eo ad ipsos lectores pertinuissent, et in singulis, quae disseruit, perlu-

---

15) Per totam epistolam theoreticae institutiones cum ethices rationibus, et praeceptis, ad actionum legem statuendam et aestimationem ineundam quae spectant, arcte sunt iunctae, atque sine ullo negotio ab alteris ad altera transire ac reverti solet auctor; siquidem alios apostolos, quod vere unum idemque est, variarum rerum respectu varie nonnunquam considerantes, tum ad fidem praecipue, vel mentis persuasionem, animi sensum ad Dei reverendum numen conversi, quo indoles nostra excitetur ad virtutem, tum ad honesti regulam et mores emendandi studium, quod animi affectum illum, dummodo sincerum, necessario sequatur, attendisse invenimus, huius ingenium eo inclinasse dixeris, ut utriusque rei, in qua cernitur mens vere Christiane, cohaerentiam et mutuam efficientiam observaret, parique momento utramque dispensaret. — Quamquam hoc nexu et ordine eius sententiarum animadverso non utique videtur esse consequens, ut perinde sibi respondisse invicem dicamus, quae adversarii eius falsa docerent ac praeciperent, singulari tamen acumine opus erit, dignoscere ac separare si volumus, quae indiscreta ipse tractavit.

strandis accuratissime definiri nequeat, utrum erudiendos ad officia et integros servandos horum animos exhortatione commovendi, an corrigendos et sanandos reprehensione percutiendi causa quaevis essent proposita.

Apocalypseos cp. 2, ubi Christi exhibita sunt verba, quibus, auctore libri calamo ea excipiente, literis consignatis, Ephesinorum coetum cultorum suorum appellavisset [16]), varia post animadversa in laudem eorum ac vituperationem, improborum etiam mentione facta quorundam, ἀποστόλους qui fallaciter se iis obtulissent, vs. 6. haec leguntur: ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις ὅτι μισεῖς τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν ἃ κἀγὼ μισῶ. Et paulo inferius in iis, quae ad Pergamenam ecclesiam sunt scripta, laude dignatam, quod strenue perseverantem in religione Christiana profitenda inter varias calamitates se praestitisset, vs. 14: ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαὰμ, ὃς ἐδίδασκε τῷ Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι: οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν ὁμοίως. (κρατεῖν τ. δ. *tenere doctrinam*, *i. e. ei addictum esse*, cf. vs. 13. De *Bileamo* v. *Numer. cp.* 25, *vs.* 1, collatis antecedentibus cpp.) Veteres Christiani nomine

16) ἀγγέλῳ eius, vel antistiti inscriptis, de quo v. *Eichhornii Commentar. in Apocalypsin*, *Vol. I*, *p. 56*, *58 sqq.*

Nicolaïtarum sectam quandam, eamque Gnosticam, denotatam existimarunt. *Irenaeus*, antiquissimus inter scriptores, qui hanc rem tetigere, l. I, cp. 26, §. 3, ubi pauca quaedam de iis allata sunt, quos nomine illo usos haereticos commemorare vellet, praeter alia nonnulla haec edidit: *plenissime autem per Joannis Apocalypsin manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in moechando et idolothyton edere; quapropter dixit et de iis sermo: Sed hoc habes quod odisti etc.* Apud eundem scriptorem, l. III, cp. 11, §. 1, Nicolaïtarum istorum haeresis dicta est *vulsio* (ἀπόσπασμα) *eius, quae falso cognominatur scientia.* Sectam a *Nicolao*, uno ex septem illis, quibus primis apud Hierosolymitanos diaconium apostoli demandavissent, originem suam deducere, praeterea narravit, v. l. I, l. c.

Recentiores autem librorum sacrorum interpretes quidam velut impropriam illam Apocalypseos phrasin intelligere malunt [17]). Bileami nomini enim cp. 2, vs. 14 Nicolaïtarum nomen proxime antecedenti, per metaphoram sine dubio, scriptoribus sacris nimirum haud inusitatam (cf. 2 Petr.

---

17) v. quae *Heumannus* de hac re disputavit *in Actis eruditor. Lipsiens. ann. 1712, p. 179; Joh. Guil. Janus, in dissertatione de Nicolaïtis ex haereticorum catalogo expungendis, Viteberg. 1723*, denuo exhibita in *Ikenii thesauro disputt. Tom. II, p. 1016 sqq. Eichhornius* in *Commentar. in Apocalyps. Vol. I, p. 73 sqq.*

cp. 2, vs. 15), de iis accipiendo, qui falsa dogmata seu praecepta in medium protulissent, secundum structuram verborum quodammodo respondere illud dum animadvertunt, alterum Hebraïcum altero Graece versum esse, ad similia respicientes, quae in eodem libro exstant vocabulorum utriusque linguae synonymorum compositionis exempla, eo magis persuasum habent, quo magis ipsa significatu etymologico, sive qui elici potest in elementa syllabarum ea dissolvendo, congruere videntur (בְּלַע, vicit, עָם, populus, Νικο—λάος); adeoque censent, *qui multitudinem imperitam in partes suas trahendo in errorem inducerent* oblique eis notatos esse [18]). Ingeniose inventa haec explicatio totius libri naturam et characterem consideranti non potest quin tibi placeat; fortasse in eo etiam, quod in priori loco illo cp. 2, vs. 6 Nicolaïtarum nomen, tamquam per se satis clarum, simpliciter positum, nihil habet, quod reconditum sensum redoleat, non offendes, quandoquidem in scriptore qui elatiori stilo supra pedestrem orationem sur-

---

18) In singulis vero explicandis quodammodo dissentiunt viri, quos memoravimus, doctissimi. Alii verba *φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι* directe ad populi corruptores istos ab auctore vituperatos referunt, quibus id praesertim in crimine positum esse iudicant, quod impie et inhoneste vixerint. Alii, antecedentibus adiecta metaphoram exornandi causa, pertinere tantum ad Bileami historiam ea volunt.

gat, historici sermonis ἀκρίβειαν, in quo singula quaevis ordine recto sese excipere debent, iure meritoque non desideraveris. Irenaeum vero suam opinionem, qualemcunque, sequentem, scriptoris sacri dicta, invito ipso, ad sectam aliquam sibi cognitam transtulisse, eo lubentius credideris, quo facilius, ubi nominum aequalitas, utut explicanda, miscendi varia et confundendi ansam ei daret, accidere ei potuisse intelligas, quod ab ingenio eius et consuetudine haud alienum fuisse constat [19]). Ceterum Bileami et Nicolaïtarum synonymia quidquid momenti habeat, non utique necessarium videtur, ut Nicolaïticae sectae memoriam abesse iubeamus ab Apocalypsi, qui nesciamus, an Nicolaïtarum nomen rei denotandae proprium fuerit, alterum autem illud propter historicae significationis et etymi consensum superadditum. Minime vero, etiamsi praetuleris interpretationem, qua improprius exsistit Nicolaïtarum nominis intellectus, sanae ac sobriae criseos leges dum sequi velis, inde probare institues, nullam plane eiusmodi unquam fuisse sectam, omnem Irenaei narrationem ex Apoca-

---

19) *Libr. III*, *cp. 11*, §. *1.* commenta quaedam *Valentini*, qui secundo p. Chr. saeculo vixerat, inter ea retulit, quae Johannes evangelium suum scribendo convellere voluisset, v. doctiss. *Storrium* in *Repertor. für Bibl. u. Morgenl. Litteratur*, *Thl. XIV*, *p. 131 sqq.*

lypseos verborum laciniis male consutam, quaeque peculiaria ei, aut ab ipso conficta et quasi per somnium imaginata esse, aut vanis rumoribus debita. Traditionis ecclesiasticae auctoritate quod dicta est secta occasione a Nicolao data exstitisse, paulo uberiori, quae apud *Clementem Alexandrinum* legitur, eius originis et naturae descriptione confirmatur [20]). Tamquam de hominibus notis, peculiari suae addictis disciplinae, de iis, qui Nicolai sectatores se profiterentur, ita

---

20) *Irenaeus I, 26*, breviter et simpliciter scripsit *magistrum eos habere Nicolaum*, addens, *indiscrete* (ἀδιαφόρως, ita, ut vetita indifferentia iudicarent) *eos vivere*. Clemens peculiare eorum, quod a dicto aliquo illius viri repeterent, praeceptum memoravit, ὅτι δεῖ παραχρήσασθαι τῇ σαρκὶ. De Nicolao autem haec verba proferente narrationem sibi cognitam adiecit, credibilemque visam, qua si vera sunt allata, sensu nequaquam eodem enuntiata, quo ab aucupantibus ea redderentur, ipsius ab ore profecta fuerant, quippe quo intellecta ad affectus naturae humanae insitos ex animo suo exstirpandi consilium potius, quam ad incontinentiam et intemperantiam illos adducere debuissent, v. *Strom. l. II. cp. 20, p. 490, 491*, et *l. III, cp. 4, p. 522 sqq.* Haec narratio sive copiosius et distinctius exposita contineat, quae obiter perstringens non satis accurate tradidisset Irenaeus, sive memoriam viri apostolici ab invidia liberandi studio debeat originem, haud dubium videtur, quin fuerit talis secta, qualem auctor descripsit, Nicolaum quae, iure meritoque seu perperam, magistrum et conditorem suum praedicaret.

quidem locutus est vir, quem hebetem ad talia perspicienda ne quis dicturus sit, non vereor, ut ipsius aetate adhuc fuisse tales existimaveris [21]). Apocryphi cuiusdam libri afferendo fragmentum, quo uti solerent isti, quum dogmata sua exponere vel defendere vellent (p. 524), Gnoseos eorum propriae specimen exhibuit.

Hactenus de Gnoseos in N. T. denotatae indiciis, sive clarioribus ac certioribus, seu obscurioribus et incertioribus, disserere potuisse mihi videor. Si qua omisi animadversu digna, nec ita ab aliis illustrata, ut ea retractare pigeat, secundum illa, quae attuli et explicare studui, suppleant, quaeso, lectores, quae desiderantur,

---

21) Ubi de sectae originis causa disputaturus rumorem tempore suo vulgatum attulit, ubi narratiunculam, ad morum eius disciplinam cognoscendam idonea quae videretur, lectoribus proposuit, modeste verbis suis adscripsit: φασὶ. Quod tam considerate est in talibus versatus, non potest res gestas oratione directa referentis fidem suspectam reddere, ut recentiorum quidam sunt opinati. — Qui serius inter veteres de Nicolaïtis scripserunt, facile hic praetermittuntur, quoniam duos illos plerumque secuti, si quid novi habent ii, haud satis explorata videtur eorum auctoritas, nonnullos etiam eorundem, v. c. *Epiphanium*, in unum confudisse res diversas, in promtu est. — De tota hac quaestione cf. *Moshemii demonstrationem sectae Nicolaïtarum*, in *Dissertt. ad hist. eccl. pertinentibus*, *Vol. I*, *p. 395 sqq.*

diiudicent, quae in medio sunt relicta. Dicenti de Gnoseos aetate et effectu, quum prodiret inter Christianos, passim anticipanda mihi erant nonnulla e placitis haereticorum, de quibus agitur, hucusque nondum descriptis. Ad quae iam accedamus uno tenore perlustranda.

CAPUT III.

DOCTRINAE GNOSTICAE SUMMA EXPOSITA.

Sententias Gnosticorum communes breviter complecti nobis institutum est, ita ut universae eorum doctrinae naturam illustremus, haud plane praetermittentes quidem, de quibus ipsi inter se dissentirent, sed strictim quaestionum summa capita tantum attingentes, ne singulis multis inhaerentes, quae seorsum tractari desiderant, distineamur, et ab eis avertamur, quibus praecipue attendendus est animus ex proposito nostro.

Omnia Gnosticorum systemata ordiuntur a notione Dei infinitae essentiae profundo mysterio reconditi, nec nisi eximia mentis elatione, adsequendi et comprehendendi, cuius ideae, ubi paulo uberior exstat virtutum eius descriptio, purissimae lucis effigie et symbolo expressae, attribuuntur aeternitatis, immutabilis bonitatis et beatitudinis proprietates. Porro apud haereticos istos docetur, animos procreavisse Deum coele-

stes, sui similes, aeternos atque beatos [1]), et quodcunque inter animantia mente ac ratione praedita aeternae et beatae vitae compos quodammodo et particeps praedicatur, eatenus saltem ad eum tamquam causas atque principia rerum continentem refertur; humanae animae origo aut ab ipso derivatur, aut divino quodam instinctu, vi

---

1) Αἰῶνες, qua de voce v. *Beausobre Histoire de Manichée etc. Tom. I, p. 570 sqq. Moshemii Institutt. hist. Christ. maj. Saec. I, p. 143 sqq Suiceri Thesaur. ecclesiast.* Angelorum aut archangelorum nomen similiter a quibusdam eorum, e Christianorum consuetudine, usurpatum. Apud nonnullos invenimus singulos, serie quasi se subsequentes, enumeratos ac descriptos coelestes animos, aliorum in dogmatis a patribus ecclesiasticis exhibitis universe tantummodo eorum mentionem factam, sive quod ordini eorum et muneribus definiendis ipsi operam non dedissent, seu quod parum cognita esset eorum opinio. Ceterum haud ubique facile dictu an mentes quoad essentiam a Deo discretos, sua volendi agendique facultate praeditos, illorum nominibus intellexerint, an Dei virtutes et actus oblique iis significare voluerint. Animadvertendum est, apud veteres Orientales haud ita distingui solitas hasce notiones, ne altera in alteram transiret, sed adeo frequenter commutatas fuisse, ut incassum laboraremus, si ad Occidentalium enucleatum cogitandi et dicendi genus revocare vellemus, grandiora quam subtiliora, more suo, quae illi protulerunt. Cf. Ill. *Creuzeri Symbolik und Mythologie der alten Völker, Bd. I, pag. 312, 313.*

et virtute quadam superne ei donata [2]) erectam ad aeterna eniti dicitur contemplanda intellectuque intuenda.

Mundus autem sensibilis, ut a Deo alienus, quam longissimo intervallo ab eo seiungitur et separatur, quasi cogitari non possit, ullo nexu cum eo cohaerere, quod natura sit fragile et vicissitudini, vitiis, miseriis, exitio obnoxium, nedum ipse malorum auctor haberi. Horum primaria culpa, a Deo optimo removenda, transfertur in naturale principium aliquod ei oppositum, in grave illud atque iners et a lucis splendore et mobilitate quam plurimum distans scilicet terrenum elementum, quod corporum vinculis sibi annexas et pondere quasi attractas mortalium animas in deteriorem partem rapere videtur. Materia mundi incondita et forma carens omnium malorum pravarumque cupiditatum mater et causa describitur, seu ex infinito tempore fuisse, proprioque motu quodam vitioso ac turbido conci-

---

2) *Marcionitarum* haec erat opinio, qui animae humanae originem a Demiurgo deducerent, v. *Dialogum de recta in Deum fide* in *Originis opp. ed. Delarue, Tom. I, p. 825, 826* (liber, nisi Origeni auctori tribuendus, inter antiquiora, consentientibus criticis, historiae monumenta, et praestantissima quidem ad cognoscendas Gnosticorum opiniones, referendus est). De Demiurgo animarum auctore cf. *Tertullian. adv. Marcionem, l. II, cp. 9.*

tata [3]), anima vitali, sed irrationali, vegetata [4]), a domino Dei adversario, tenebrarum principe, regnata esse [5]), seu e vitio aliquo et defectu eorum, quae natura sua sublimia fuissent ac praestantissima, originem duxisse dicatur [6]). Mundus vero hic ut conderetur, iniussu Dei factum, nec eo propitio, nisi forte permittente animarum saluti quoniam ita consuli ac prospici vellet, adeo-

---

3) v. fragmentum scripti alicuius *Valentini* conservatum in *Dialogo de recta fide*, *Sect. IV*, *l. c. p.* 841, a *Grabio* in *Spicileg. haeret. saec. II* seorsum exhibitum.

4) Actuosam ὕλην, malorum principes procreantem, *Homiliarum Pseudo-Clementinarum* auctor *Simonem* suum effingere fecit, v. *Hom. XIX*, §. 14, *opp. Patrum Apostolicorum a Clerico ed. Amstelod. 1724, fol. Vol. I, p. 754.*

5) Tale *Bardesanis* dogma, qui, bonum a malo naturali quoad causam et effectum discrimine ut seiungeret, ἀγέννητα esse duo, Deum nempe et diabolum, contendit, e quibus, tamquam radicibus, universa provenissent (*v. dialog. de r. f. Sect. III*, *l. c. pag. 835 sqq.*), et sicut omnino haud secus ac reliqui materiae infensum se praestaret, ita malorum auctorem in terra habitare diserte docuit (*l. c. p. 839*). Similis erat *Marcionitarum* aliorumque sententia.

6) Sic *Valentinus*, ubi rerum originem et naturam mythice fingendo adumbravit, v. *Irenaeum*, qui l. I, cp. 1—8 eius commenta fuse descripsit, *cp. 4*, §. *2 et 5*, *ed. Massuet. p. 22*, cf. ad ἀσώματον ὕλην quae editor. not. γ. adnotavit.

que ab angelo quodam aut secundario numine, inter bonum et malum medio [7]), aut malo imo, Deique voluntati repugnante [8]), quod omnino eum ignorasset, aut ab eo descivisset, susceptum esse hoc negotium contenditur, atque perpetratum.

Cum opinione illa, tamquam despicatui ducenda sit materia, impura scilicet, vitiorumque incitamentis referta, universa autem rerum inferiorum constitutio manca et debilis, imbecilli auctoris inconcinnum opus, infesissimum est coniunctum corporis odium, quippe cuiusco nsortium

---

7) Ut placuit *Marcionitarum* nonnullis, v. quae *Megethium* disputare fecit auctor *dialogi de recta fide*; *Sect. I*, *l. c. p. 805*, et *Sect. II*, *p. 824*, ubi de Pauli loco 2 Thessal. cp. 1, vs. 6, 7 quaestio instituitur.

8) Et haec *Marcionitarum* quorundam erat opinio, eorum scilicet, qui visibilium et intelligibilium principia, quoad moralem rerum ordinem discreta, adeo sibi opposita facerent, ne medium aliquid aut anceps iis intercedere posset, v. *dialog. de r. f. Sect. II*, *l. c. p. 822 sqq.* Utra sententia profecta fuerit ab ipso scholae principe, ambiguum est propter veterum dissensum. *Rhodonis* (apud *Eusebium*, v. *hist. eccl. l. 5*, *cp. 13*), testis locupletissimi, quippe qui cum haereticis versatus et frequenter de religione cum iis disceptando edoctus et exercitatus esset, auctoritatem sequi si volumus, alteri (quam modo memoravimus) addictum fuisse illum existimabimus; quod confirmare videtur *Tertullianus* aliique scriptores antiquiores. Sed quaestio est amplior, quam ut breviter absolvi queat.

indigne patiatur egregia nostri pars, atque omnino huius vitae contemtus, et ardentissima in meliorem eluctandi cupido. Ceterum in ipsa humanae animae natura describenda et conditione, qua hic utitur, aestimanda singulorum sententiae sectarum principum quodammodo inter se differunt. Eorum, qui a supremo Deo eius ortum deducerent, alii, antecedentis culpae in priori vita commissae, statuebant, poenam ut luat, in corpus eam deferri, aut proprio quodam nutu in materiam, lucis particulas quibuscunque potiatur, illecebris suis attrahentem, declinari, quorum opinioni conveniret doctrina de metempsychosi et purganda per varios vitae gradus anima [9]); alii, imbecillam adhuc et puerilem eam

---

9) *Basilides*, qui coelestem animae originem, Deique cognitionem insitam ei praedicaret, peregrinae videlicet in hoc mundo, et quasi advenae (v. *Clement. Alex. Stromat. l. II, cp. 3, p. 433, 434. l. V, cp. 1, p. 644, 645. l. IV, cp. 26, p. 639)*, dogma de migrationibus eius, propter plures rationes acceptum atque probatum veteribus philosophis, qui priusquam in hanc vitam intret *esse* illam opinarentur, suum quoque fecit (v. *Origenis Commentar. in ep. ad Rom. l. V, ed. Delarue Tom. IV, p. 549*, cf. *Excerpta ex scriptis Theodoti* §. *28.* ap. *Clement. Alex. p. 976*), et quaecunque adversa hic ei contingere possint, ex iis, quae peccando antea merita sit, pendere docuit v. quae *Clemens Strom. l. IV, cp. 12, p. 600* ad ipsius locum quendam laudatum annotavit). Idem Barbarorum more commentus est lucem a tenebris prin-

excolendam deorsum mitti et seminis instar reliquis hominis partibus inseri, ut rerum inferiorum usu in virilem fortitudinem crescat [10]). Qui vero mundi conditorem eius auctorem esse volebant, meliores animas generosiori quodam affectu, vel divinitus excitato sensu ad efferendum sese super istius regnum proclives esse praedicabant, et ad veri Dei numen conversas [11]).

Varietates, quae in animis cernuntur, disparesque hominum in sapientia et virtute progressus, adhibita quaestione de rebus externis, quippe quae haud aequabili lege, ut mortales existimant, dispensatae, optimis adversae nonnunquam ob-

---

cipio discretam, tenebrasque, quum illam agnoscerent, miscendi se cum ea cupidine captas, et insectantes eam (v. libri eius fragmentum in *Archelai Act. disput. cum Manete*, *ed. Zaccagni*, *Rom. 1698*, *pag. 101*, *102.* Eodem spectat τάραχος καὶ σύγχυσις ἀρχικὴ, ap. *Clement. Al. Strom.*]. II, cp. 20, p. 488). Rationem universam huius haeretici, cuius sententiae de providentia et animae humanae natura et sorte satis apte inter se cohaererent, enucleatam explicuit scriptor eorum, qui de Gnosticismo commentati sunt, facile princeps, *Beausobrius*, v. *hist. de Manichée etc. Tom. II, p. 3 sqq.*

10) *Valentiniani*, v. *Iren. l. I, cp. 5*, §. *6*, *cp. 6*, §. *1.* Seminis allegoria, ut videtur, a *Johanne* mutuata, v. *primae* eius *epist. cp. 3*, *vs. 9*, nisi forte satius ducamus, ab Orientalium figmentis eam repetere, de quibus hic exponere velle, praeposterum foret.

11) *Marcionitae*, v. not. 2.

tingant, et in perfectionis studio promovendis, quorum praeclara est indoles, haud raro incommodae, dum ita explicare instituebant, ut a Deo et malevolentiae et ininstitiae opprobrium repelleretur, praeter vitiorum illecebras naturae elemento insitas, quibus animus cum corpore innctus deliniatur, sive per adhaesionem quandam materiae particularum ad eum se applicantium capiatur et irretiatur [12]), naturalem animarum diversitatem fingere iis placebat, qua aut coelo aut terrae eas vindicarent [13]). Nonnulli quum huma-

---

12) *Basilides* cupiditatum incitamenta προσαρτήματα vocavit, ut quae proficiscantur a πνεύμασι (malis daemonibus) quibusdam secundum turbationem et confusionem aliquam primigeniam (lucis tenebrarumque, v. not. 9) animae ratione praeditae *adhaerentibus*, v. *Clement. Alex. Strom. l. II, cp. 20, p. 488. Isidorus*, eius filius, qui vereretur, ne, hac opinione recepta, externo necessitatis quodam vinculo quum restringi videretur libere volendi atque agendi facultas, speciosum improbitatis excusandae praetextum nacturi essent homines, aliunde petere causam perversorum animi motuum instituit. Omnino tenendum est, veteres philosophos, qui pravos affectus, ut a mente alienos, adventicios quodammodo animaeque in corpore viventi extrinsecus admotos existimarunt, naturali necessitatis legi subiectum esse rationis arbitrium ne tunc quidem affirmare voluisse, quum propositionibus, quibus defendendis operam darent, primariis plane consequens et consentaneum videri potuit, ut amplecterentur istam sententiam.

13) *Saturninus* v. c. duo hominum genera esse docebat,

nae mentis arbitrium in eligendo quae facienda quaeve omittenda sint, et voluntatem inter virtutis studia et cupiditates fluctuantem considerarent, de harum rerum ratione causaque solliciti, duplicem in homine animam esse, insuper statuebant, quarum alteri altera opposita sit [14]), vel spiritum, usitata tunc locutione, ab anima, ut praestantiorem, distinguebant [15]).

---

naturali animi habitu et ingenita mentis indole diversissima, v. *Iren. l. I, cp. 24, §. 2, Epiphan. haer. 23, ed. Basil. p. 33. Theodoret. haeret. fab. l. I, cp. 3. Valentiniani*, tripartita generum divisione, prout ratio eorum postulabat, hominum ingenia distinguentes, τοὺς πνευματικοὺς, quorum coelestem originem laudibus ornarent, insita virtute ad optima voluntate eligenda proclives, τοὺς ψυχικοὺς inter bonum malumque medios, eaque libertate morali praeditos esse, quae in illo appetendo, hoc evitando cernitur, τοὺς ὑλικοὺς vero nativa vitiositate pessum dari statuebant, v. *Iren. l. I, cp. 6, §. 1* (cf. §. 2), *cp. 7, §. 5, et Eclogarum Theodotianarum cp. Clem. §. 56.* Hisce consimilia alii, suo more quisque, proferebant. Quomodo de rerum ordine ac fine, Deique providentia, aequitate et iustitia meditando ad istam sententiam animo concipiendam adducti sint haeretici, explicitum v. ap. *Origenem, de Principiis l. II, cp. 9, §. 5, opp. Tom. I, p. 98, 99.*

14) *Isidorus*, teste *Clemente Alex.* v. *Stromat. l. II, cp. 20, p. 488.*

15) *Valentiniani* in singulo etiam homine animae spiritum praeferebant, v. *Iren. l. I, cp. 5, §. 6.*

Animantium, dispari fortuna qui vitam ingredi solent, singulorum conditionem et sortem nascentium, perinde atque hunc mundum universum demiurgi et angelorum eius potestati subiectum facerent, geniis aut daemonibus malis gubernandam tribuebant, astrorumque affectionis superstitione quadam imbuti, horoscopo intenti erant et in artibus genethliacis exercendis multum desudabant. Quo magis inferiora haec omnia naturali animi virtute ac praestantia se antecellere persuasum haberent, eo facilius in spem adduci poterant, fatalem eorum ordinem consilio se moderaturos esse [16].

Exitum denique omnium, quae animis eventura essent, eum fore confidebant, quod solutae a corporum vinculis et ex hac vita molesta, vitiorumque labe infecta in meliorem et feliciorem emersae, ad aeterna illa, sibi cognata, sint transi-

---

16) Memorabilis est locus *Eclog. Theodot.* §. *69—76*, ut qui declaret, quomodo εἱμαρμένης notio et adiuncta huic opinio de stellarum efficientia placitis illorum et de daemonum hominumque natura commentis responderet, adeoque fatalismum et ideam divinae providentiae, qua universa regantur, aliquatenus inter se conciliare in animum inducere possent. De astrologicis, sicut de theurgicis et magicis singulorum superstitionibus, qui geniorum auxilium et ministerium sibi comparandi artem scilicet prae ceteris callerent, v. Rev. *Münteri Versuch über d. kirchl. Alterth. d. Gnost. cp. 5*, §. *32 sqq.* §. *37 sqq.* cf. *Beausobre, hist. de Man. Tom. II, p. 46 sqq.*

turae, eisque iungendae. Apud eos, quorum sententiae paulo copiosius expositae ad memoriam nostram pervenerunt, finem huic mundo imminentem ita descriptum videmus, ut rerum universitas supremi et optimi Dei numini subiicienda, aeternoque eius imperio beanda praedicetur, delenda vero et exstirpanda, aut superanda certe atque domanda dicantur, quaecunque ei obnitantur [17]).

Morum praecepta quae ab aliis alia in medium sunt prolata, et adversa quidem fronte nonnunquam invicem sibi opposita, nihilo secius omnino ita comparata sunt, ut singulorum animi indole observata, eisque, quibus humani ingenii viae ac vicissitudines illustrari solent, rationibus in auxilium adhibitis, non sit difficile intellectu, quo modo ex communibus inter omnes principiis congrua quadam aut minus directa conclusione deduci, seu potius e communi omnium animi ha-

---

17) v. de animis ad altiora transferendis, de materia igne consumenda quae tradebant *Valentiniani*, ab *Irenaeo l. 1, cp. 7, §. 1* descripta. Apud eos, qui duos universi auctores e contrario sibi oppositos fingebant, quaestio de utriusque conditione et alterius ad alterum relatione in controversia versabatur. Alii inter aequales potentia et ambo immutabiles Deum tantummodo in aeternum esse duraturum, alii, adversarium eius exitio quidem haud obnoxium, sed minus validum eo esse statuebant, adeoque ei subiici posse, v. *dialog. de recta fide. sect. 3, l. c. pag. 835 sqq.*

bitu et affectu exoriri quaevis potuerint, ne dicam debuerint. Metaphysicae eorum sententiae corporis odium excitando sua sponte quidem ad domandas et ex animo evellendas cupiditates hominem instigabant et impellebant. Proinde plerosque invenimus celebrium sectarum conditores austeriora praescripta suis reliquisse [18]). Sed prout pluribus exemplis historia docet, splendidissima quaeque iusto altius se extollentis ingenii commenta et phantasmata, rerum sensilium taedium commovendo atque contemtum, ad spernendas consuetudines et institutiones humanas, adeoque honesti et decori legem violandam et evertendam sollicitare mentem nativae quasi et insitae sibi praestantiae sensu ebriam solere, ita et illi abutendo decretis, quae opinioni suae convenirent, haud raro improbi et flagitiosi esse facti videntur. Singularum exemplo quarundam scholarum, ubi manifesto sectatores in regula statuenda, ad quam vitam dirigerent, cum magistro vel maxime dissentirent, declarari potest, hanc fuisse viam, qua tristis et severa initio morum disciplina relaxaretur deinde ac dissolveretur [19]).

---

18) Haeresium principes quosdam ex horum numero excipiendos, sectasque, quarum peculiari disciplinae insitum fuisse videtur, ut a bene morato animo aliena decernerent, commemoratas v. ap. *Clementem Alex. Strom. l. III, cp. 2, p. 511 sqq. cp. 4. p. 522 sqq.*

19) *Basilidis* adseclarum mores ipsorum scholae aucto-

Dogmata eorum ad Christianismum in eis praesertim, quae ad hominum salutem a Deo partam, ad vitam futuram, diem novissimum spectant, varie accommodata sunt et applicata, qui primariorum imo etiam Christianae religionis capitum quorundam sententiam in significationem placitis suis aptam, licet a genuino sensu alienissimam, detorquere haud vererentur [20]).

---

rum praeceptis verbotenus descriptis metitos, a *Clemente* vituperatos v. in *Stromat. l. III*, *cp. 1*, *p. 510*, ut similia eiusdem rei exempla praetereamus. Quantumvis in maius exaucta et verbis exaggerata sint, quae quoad morum perversitatem multis Gnosticorum opprobrio fecerunt patres ecclesiastici, haud moderatissimi omnes, ut novimus, et aequissimi in referendis aut diiudicandis, quae invidiam concitare possent haereticis, ab omni tamen culpa illos vindicare in tanto testium consensu eo minus nobis permissum erit, quo magis perspicuae sint causae eorum erroris. *Plotinum*, Platonicorum principem, in iis, contra quos scripsit, similia reprehendisse invenimus, atque a patribus quae notata sunt, v. *Ennead. II*, *l. 9*, *sect. 15*, *ed. Ficin. p. 213.*

20) Ne principia universae Gnoseos et ea omnino, in quibus rei cardo vertitur, cum aliis confundendo, quae secundaria et adventicia quodammodo dicenda sunt, inutilibus ambagibus implicemus quaestionem de origine eius mox instituendam, separatim ὡς ἐν παρόδῳ commemoremus Christiana dogmata, retractata qualia proderent illius auctores et magistri, et artificio aliquo singulari elaborata. Salutarem de Christo generis humani Servatore doctrinam prorsus

Communis igitur Gnosticorum doctrinae summa, quod concludentes hanc disputationem pau-

---

immutare audebant, ut sublimi suae sententiae congrueret. Christum supremam Dei virtutem dicebant, quae ab eo profecta in hunc mundum se demisisset, ut everteret potestatem eius opificum, animosque ad aeterna erigendos a materiae vinculis liberaret. Quum in Mosaicis aliisque Judaeorum libris ubicunque imagine ab analogia rerum visibilium desumta divinitatis notionem adumbratam animadverterent, et, accommodatissime ad priscorum hominum ingenii indolem, Dei volentis atque agentis ideam ita repraesentatam invenirent, quasi humanis affectibus commotus esset, maiestate ipsius indigna ei affingi et a summa perfectione aliena, deprehendere sibi viderentur, ab inferiori aliquo numine vel angelo legem propositam et prophetas inspiratos esse, ad quem colendum omnia V. T. praecepta et instituta spectarent, contendere in animum inducebant, cui et mundi condendi negotium eidem tribuerent, sive singulo, sive aliorum sui similium socio. Dei Filium vere hominem factum, humanamque sortem subiisse ut profiterentur, rerum corporearum omnino et incorporearum aestimatio haud permittebat, nedum passum et mortuum esse eum affirmare voluerint. Varie singuli, prout cuiusque placita ferebant, eius adventum ita explicabant, ut a communi et recepta inter Christianos sententia omnes quodammodo recederent; alii simulata hominis specie indutum ad divina decreta perpetranda ostensum esse eum imaginabantur, quos Docetarum nomine denotari solitos supra memoravimus; alii, qui Dei excellentiae forte haud consentaneum ducerent, ut ad homines simulatione et fraude emendandos se ac-

cis adnotemus, in eo erat posita, quod salva Dei perfectionis idea, servataque dignitatis humanae naturae, etsi haud bene intellectae, conscientia

---

commodaret, e materia subtiliori, aetherea composito corpore eum vestitum adfuisse, alii in Jesum hominem inter baptisma vim quandam divinam fingebant descendisse, quae iuncta cum eo mansisset donec crucis supplicio affectus sit. Dogma de corpore post mortem in vitam restituendo, quod acriter defendere solerent veteres ecclesiae doctores, dum de religione disceptabant cum gentilibus, ab illorum ingenio, haud secus ac dogma de Christo vere homine, abhorrebat. De ecclesia si quid in medium proferebant, ex eorum opinione haud in externa societatis unitate et coniunctione, dogmatum consensu, rituum sacrorumque tradendorum aequalitate rei summa versari poterat, quae maximo momento aestimarent Christiani, ex adverso haeresium qui coetum Catholicum constituebant. Invisibilem, ut ita loquar, isti efficere volebant ecclesiam, quae politiori perfectiorique secundum suas rationes reddito Christianismo dicanda esset. *Valentiniani* qui animas discrimine naturali discretas facerent, origine et virtute praestabiliores, quarum in mundo intelligibili esset exemplar, nomine illo comprehendebant. In sacris etiam ritibusque symbolicis instituendis singularia quaedam habebant, neque cum ceteris Christianis communia. Baptisma quorundam propemodum comparandum ceremoniis apud gentiles solennibus ad lustrandos, qui mysteriis initiarentur; reconditam aliquam vim ad beandum animum ei inesse volebant. Alii vero nonnulli quaecunque sensibus interpretibus percepta movere possent mentem et ad pietatem excitare, a Dei cultu aliena iudicabant.

malorum originem anquirentes, discrimine causarum ac fontium naturali a bono malum separabant, quo universi unitas tolleretur, et partium eius coniunctio dirimeretur, distinctionem vero principiorum, e quibus omnem moralem rerum ordinem profectum existimarent, argumentatione utut falsa, non ita probabilitate prorsus destituta, ne videas, qua ratione orta sit, ad corporis omnino et animi, materiae et spiritus, eorum, quae sensibus, eorumque, quae intellectu percipiuntur, differentiam adiungebant, adeoque vitio aliquo insito laborare illa, defectu aut infortunio haec ad illa devenisse affirmabant aut in ea transiisse, spretisque iis ad praestantiora reverti.

CAPUT IV.

DE

ORIGINE ET FONTIBUS DOCTRINAE GNOSTICAE.

COMPARATUR EA

CUM GRAECORUM FABULIS POETARUM QUIBUSDAM ET PHILOSOPHORUM OPINIONIBUS.

Postquam adumbravimus doctrinam Gnosticam sua sponte exsistit quaestio de origine eius et fontibus, i. e. de antiquioribus populorum sacris, seu philosophorum disciplinis, unde profecta videri possit. Quidquid enim in singulis Gnosticorum systematis excolendis et absolvendis adventicio temporum et locorum effectui, singulorumque, qui sectas condiderunt, solertiae sit tribuendum, dogmata praecipua omnium communia, satis notabilia et quoad philosophandi genus insignia, plane fortuito consensu conspirare haud facile dixeris; quae sicut ipsa, austeriorem et

humanarum rerum consideratione graviter commotam mentem dum produnt, non ab otioso et luxuriante ingenio ex tempore conficta se esse, vix inspecta declarant, ita externo internoque eorum habitu attentius observato, veterum religionum historiae analogiam si sequi volumus, non uno eodemque momento illo, quo in lucem prodirent, suborta simul atque ab omni parte perfecta aestimabimus, sed remotiore ab antiquitate repetemus ea, praesertim cum testimonio scriptoris, haud multo serius qui vixit, vetustas eorum confirmetur [1]). Non leve quidem est negotium doctrinae Gnosticae fontes explorare, sed tantum abest, ut eorum investigatione hanc ob causam supersedere possimus, ut eo intentior potius cura in illam impendenda eoque maior diligentia ei adhibenda sit; qua nisi quid certi imo adsecuturi essemus, comparatio Gnoseos cum aliis priscorum saeculorum religionibus, per se spectata, haud inutilis ad propositum nostrum et superflua foret dicenda, quandoquidem haud parvi nostra refert, ut rerum cognatarum similitudinem aut differentiam animadvertendo naturam earum illustremus. Argumentum ita tractandum erit, ut veterum locos qui indicia eius, quod

---

1) *Porphyrii*, qui Gnosticos, a ceteris Christianis scilicet distinguendos, αἱρετικοὺς ἐκ τῆς παλαιας φιλοσοφίας ἀνηγμένους vocavit, v. *Vitam Plotini, cp. 16. ed. Fabricii p. 118.*

in quaestione versatur, aliqua continent, persequentes singula quaecunque e religionum gentilium sive philosophiae historia huc referenda esse videntur, recenseamus, et, sententiarum convenientiae aut discrepantiae haud secus atque eorum respectu habito, ex quibus disciplinarum nexum quendam et cohaerentiam externam agnoscere possis, quoad finem nostrum diiudicemus.

Primum, et saepissime quidem, cum quaeramus unde petita essent decreta Gnosticorum, a scriptoribus aetati eorum proximis, veterum Graecorum opiniones, ut quibus semina iacta essent istius Christianorum quorundam argutiae et magniloquentiae, offeruntur memoriae nostrae; modo fabulas poetarum materiam fingendi et commenta sua exornandi haereticis dedisse perhibuerunt illi, tum autem affirmarunt, philosophis esse debitum, si quid novi et insoliti isti protulissent; quod aut universe tantum elocuti, similibusque forte quibusdam et exemplis, quae passim deprehendere sibi viderentur, undecunque collectis ostendere ac probare sunt aggressi, aut philosophi huius vel illius sententias denotantes distinctius declaraverunt. Antequam ad dicta eorum accedamus pervestiganda, moneamus, necesse est, haud minus diligenter et caute hic, quam ullo alio loco, nisi disputando nihil efficere velimus, circumspiciendum esse, ne temere auctoritates sequamur, neque cum iis, quae ab accurata

notitia et iusta aestimatione rerum profecti explorata aut apte congruenterque coniectata illi prodiderunt, leviora confundamus et propter exiguam quandam oblatam veri speciem arrepta; nam inficias ire nolumus eorum haud paucos, testes quidem et auctores idoneos, ubi simpliciter relata retulerunt, non sine omni errandi periculo duces haberi posse in iis cognoscendis, quae interpretem desideraverint, ingenio multis modis exercitato neque praeiudicatis opinionibus obstricto, solertem aeque ac integrum.

Epiphanius haeres. 31 *ed. Basil. p.* 76 dum *Valentini* de mundo intelligibili commenta cum Theogonia *Hesiodi* comparavit, deorumque genus et ordinem a poeta depictum imitatum esse illum contendit, sine dubio admodum levem nec nisi obiter animadversa pertenui rerum similitudine fundatam attulit coniecturam suam [2]), quem plane fugiebat, quod poeta, longe aliter atque haereticus incorporeorum ideis totus immersus et abstrusus, a cosmologica naturae primordiorum notione profectam deorum descriptionem in carmine suo ediderat. Haud magis quam Epiphanius, ubi

---

2) Omnino ita illud εὕρημα lectoribus suis propinavit, ut ipsius ingenio acceptum esse referendum videatur. Fuse, quamvis parum concinne, multa singula tamquam documenta enumerando iis probare studuit, quod quasi recens detectum in lucem promeret.

eiusmodi inventa edisseruit, *Irenaeus* [3]) in eo, quod e variis poetarum et physicorum Graecorum opinionibus conflatas suas contexuisse dixit Gnosticorum illum principem, ita ut Bython suum et Sigen excogitando *Homeri* de Oceano et Thetide fabulam imitatus esset, immensum ab *Anaximandro*, ab *Epicuro* vacuum sibi suppeditatum accepisset, fide dignus haberi aut ad quaestionem nobis propositam recte diiudicandam aliquid contribuisse videri potest, cum res ipsa doceat, quo referenda sit haec eius sententia, et quanti facienda. Attamen aliquid subest hisce parum verisimilibus, quae patrum nimiae nonnunquam in talibus odorandis et indagandis sagacitati et sedulitati debemus, de quo quid sentiam, proferre mihi liceat. Quemadmodum scripturam sacram interpretatione artificiosa et contorta ad placita sua accommodare solerent Gnostici, ita veteres poetas etiam, qui fertili ingenio cum fabulas exornavissent, excolendis augendisque gentilium superstitionibus materiam dederant, reconditum sensum dictis eorum subiiciendo sibi conciliare et quasi in suas partes trahere interdum voluisse eos invenimus. Quod non solum a *Simone* isto praestigatore susceptum esse constat, quem Helenae historiam veterum carminibus celebratam et alia eiusmodi nonnulla, admiranda sane solertia velut allegorica interpretata, ad emanationis systema et

---

3) *Iren. l. II, cp. 14, §. 2, p. 133.*

gnosin suam confirmandam adhibuisse ex Epiphanio discimus 4), sed a Christianis quoque Gnosticis, ut qui animi sui indole proclives ad excipienda varia, quae inter populos sacra quodammodo habita traderentur, atque in omnibus hisce perlustrandis curiosi fuerint, sive amplificando scientiam suam fructum aliquem inde se percepturos esse sperarent, seu ipsa ingenii sui

---

4) v. *haeres. 21, p. 30.* *Helenae* fabulam ad *Ennoiam* sive mentem, quam fingeret a Deo emanatam, improprie nimirum denotandam deflexit (quacum alteram quandam Helenam, Lacaena Tyndaride haud minus saltem κυνώπιδα et sibi magis etiam familiarem, quomodo confuderit, in medio relinquam). Accipe haec auctoris verba: τούτου ἕνεκεν ἀναγκάζεται αὐτὴν (Helenam) διαγράφειν Ὅμηρος ἐπὶ πύργου ἑστηκέναι καὶ διὰ λαμπάδος ὑποφαίνειν τοῖς Ἕλλησι τὴν κατὰ τῶν Φρυγῶν ἐπιβουλήν· ἐχαρακτήριζε δὲ διὰ τῆς λαμπηδόνος, ὡς ἔφην (sc. Simon), τὴν τοῦ ἄνωθεν φωτὸς ἔνδειξιν. (Obiter memorandum est, apud *Homerum* frustra quaeri hanc narrationem, qui Odyss. δ, vs. 274 sqq. longe aliam noverat Helenam, qualem inter excidium Troiae se gessisset, sed apud *Virgilium* eam exstare, *Aeneid. l. VI, vs. 518, 519*, cf. *B. Heynii not. ad h. l.*, *excurs. XI*, et ad libr. II excurs. VIII.*) Ne tanto quidem, quam illic, interpretis artificio opus fuit, ut *Minervae* numinis descriptionem ad Ennoiae suae notionem exprimendam accommodaret. Cf. *Beausobre hist. de Man. etc. Tom. II, p. 327, 323.*

luce perfundere vellent, explicatione scilicet indigentia et significatu concinno ornanda. *Valentinianorum* v. c. nonnullos fabulam de Hercule ab Eurystheo ad inferos demisso, ut Cerberum in lucem protraheret, ab *Homero Iliad.* Ϙ, *vs.* 362 *sqq.* breviter commemoratam, ipsius versibus undecunque correptis copiosiorem comtioremque reddere conatos esse legimus [5]), ex mente sua nempe intelligendam [6]).

---

5) apud *Epiphan haeres. 31, p. 91.* Ipsum lectoribus ante oculos ponere haud piget centonem scite consarcinatum:

"Ὡς εἰπὼν ἀπέπεμπε δόμων βαρέα στονάχοντα
φῶϑ' Ἡρακλῆα, μεγάλων επιΐστορα ἔργων,
Εὐρυσϑεύς, Σϑενέλοιο πάϊς Περσηϊάδαο,
ἐξ ἐρέβευς ἄξοντα κύνα στυγεροῦ ἀΐδαο·
βῆ ρ' ἴμεν ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ἀλκὶ πεποιϑώς,
καρπαλίμως ἀνὰ ἄστυ· φίλοι δ' ἅμα πάντες ἕποντο,
νύμφαι τ', ἠΐϑεοί τε, πολύτλητοί τε γέροντες,
οἶκτρ' ὀλοφυρόμενοι, ὡςεὶ ϑανατόνδε κιόντα.
Ἑρμείας δ' ἀπέπειπεν ἰδὲ γλαυκῶπις Ἀϑήνη·
ᾔδεε γὰρ κατὰ ϑυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο.

6) Haud dixit *Epiphanius*, quid per illam significari voluerint. Ad Soteris sui, animam a corporis vinculo liberaturi, e Pleromate descensum, ni fallor, indicandum transtulerunt eam; similia scripturae sacrae sensum inepta explicatione pervertendi eorum consuetudinis exempla apud patres sexcenta occurrunt. — *Manes* haereticus Persa tertii saeculi, cuius

Nonnihil momenti inesse videtur *Tertulliani* dictis, ubi ex opinionibus philosophorum enatas atque subortas esse haereses universas contendit [7]), licet, magis quam par esset, ingenio suo indulserit, aut eloquentiae suae fervore se abripi passus sit, cum e variis praecipuorum quorundam inter illos sententiis heterodoxiae cuiuscunque principia, et elementa, ut ita loquar, singula, ex quibus constitisset, erui posse sibi persuaderet [8]).

---

dogmata ad Gnosticismi indolem proxime accederent, pariter ac Gnostici, ut videtur, Graecorum fabulas opinioni suae conciliandas haud repudiavit. Librum *de Gigantibus* conscriptum suis reliquit (τὴν Γιγάντειον βιβλον, v. *Photii bibliothec. cod. 85.*), in quo, ut videtur, pugnam, quam commentus esset inter lucis et tenebrarum principes commissam, sub imagine Gigantomachiae, illis usitata, repraesentaverat, cf. *Beausobre h. d. M. Tom. II, p. 304.*

7) v. c. *advers. Hermogen. cp. 8*, ubi *haereticorum patriarchas* vocat philosophos.

8) *de praescription. haeret cp. 7, ed. Venet. 1696, p. 119: Ipsae denique haereses a philosophia subornantur. Inde Aeones et formae, nescio quae, et trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat; inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: a Stoicis venerat; et ut anima interire dicatur, ab Epicureis observatur; et ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur; et ubi materia cum Deo aequatur, Zenonis disciplina est; et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eaedem materiae apud haereticos et philosophos volutantur etc.*

Nam praetermittamus etiam, quod nonnullarum conditores sectarum Gnosticarum Graecis litteris et philosophia imbutos fuisse diserte traditum est, aliorum e libris fragmenta exstant, quae quoad ratiocinandi modum et genus dicendi haud male conveniunt ad ingenii indolem et stilum illius aetatis philosophorum [9]), universum istorum mentis studiorumque habitum, qualem fuisse declarant historiae monumenta, considerare si placet, philosophiarum tum maxime celebrium neque rudes plane atque imperiti ut fuerint, neque ut nihili eas pependerint, verisimile existimabimus; sed quemadmodum orthodoxi ecclesiae doctores liberaliori Alexandrinae scholae disciplina exculti, veri quacunque sub specie se offerentis agnoscendi studiosi, veterum philosophorum praecepta minime aversarentur, aut sui indignum ducerent, ut horum institutionibus aliquid deberent, ita et illos, animo late patente et ad diversa suscipienda inclinante, eclecticorum rationem aliquatenus secutos esse, haud improbabile videbitur.

Quae ad rem penitius perscrutandam spectant et quoad singula, quae in quaestionem veniunt, momento suo expendendam, de Gnoseos origine a veteribus animadversa, *Platonicam* inprimis *philosophiam* investigantibus illam nobis respicien-

---

9) Ejusmodi fragmentum *Valentini*, quod supra memoravimus, v. in *dialogo de recta fide l. c. p. 840, 841.*

dam esse monent. *Tertullianus* e. g. in libro *de anima*, *cp.* 18, postquam dixerat *Platonem* eam, quam ante mortem nactus esset [10]), intellectualium cognitionem haereticis commendatam reliquisse, et de vero sola mente adsequendo eius sententiam commemoraverat, his verbis, quod senserat, explicare pergit: *Vult enim Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas et aeternas, quas appellat Ideas, i. e. formas, exempla et causas naturalium istorum, manifestorum et subiacentium corporalibus sensibus; et illas quidem esse veritates, haec autem imagines earum. Relucentne iam semina Gnosticorum et Valentinianorum?* quorum opiniones nonnullas huc referendas deinde recenset [11]). Revera Gnosticismo in praecipuis quibusdam capitibus haud exigua est cum Platonismo similitudo. Enimvero mirandum etiam foret, si philosophia Platonica, quae prae ceteris tunc in honore erat, nec non ab ecclesiae doctoribus quibusdam celeberrimis atque de re Christiana optime meritis colebatur tanto cum studio, ut ex ipso dogmata sacra tractandi et tradendi modo his fere proprio agnoscere liceat, quantopere in ea elaboraverint, non ad haereticorum

---

10) Phaedonem nempe sale suo adspergere voluerat vir facetus.

11) Comparationem ulterius prosequitur cap. 23, ubi, bona fide se dolere, affirmat, quod *Plato omnium haereticorum condimentarius* sit factus.

quoque illorum ingenii et doctrinae cultum aliquid contulisset. Sed ne magis solertes in similibus animadvertendis, quam in disparibus distinguendis curiosi ac diligentes nobis videamur, haec in memoriam nobis revocare haud supervacaneum erit:

In hoc nimirum, quod veram οὐσίαν et quamvis perfectionem iis tribuit, quae mente sola et cogitatione comprehenduntur, ea autem, quae sub sensum cadunt, ut quae gignantur et mutentur, manca et imperfecta, firmo ac stabili habitu qualicunque prorsus caritura esse docuit, nisi ex illis penderent, atque adeo aeternorum illorum et immutabilium perceptionem veram cognitionem, horum mutabilium et fluctuantium animadversionem opinionem tantum afferre statuit, haud multum discrepans videtur *Plato* ab istorum sententia, dummodo a dialecticis rationibus, quibus adductus rerum et proprietatum ideis, sive ut nostro more loquar, universalium notionibus, naturam et virtutem τοῦ ὄντως εἶναι vindicaverit, animum amoveas paululum, aut ex his quoque eius ingenio insitum sensui omnino mentem praeferendi studium agnoscas.

Ceteroqui, dum quaerebat naturale aliquod principium, cui quum proprietates illae generum aut specierum communes fuissent adiunctae, singula quaeque, sensibus quae obiiciuntur, effici atque constitui potuissent, prout elementorum confusionem primigeniam fuisse perhibebat ve-

tusta fabula carminibus celebrata, materiae notionem concepit [12]) nulla certa et finita forma praeditae, ad recipiendas vero formas quaslibet aptae et habilis. Eadem notio propterea quoque ad universam eius rationem, quippe quae ita comparata esset, ut physica et metaphysica, arctiori sententiarum nexu, ad ethica referrentur, apte conveniebat, quoniam philosopho vere religioso atque de malorum causa et fonte, eorum scilicet, quae ab animantibus, mente ornatis, prava decernuntur et perficiuntur, aeque ac eorum, quae extrinsecus imposita iis adversa contingunt, iuste ac pie diiudicando haud parum sollicito ansam dedit ad originem mali interpretandam et a culpa Deum defendendum.

Proinde Platonis dogmata etiam, quod attinet ad quaestionem de rerum principiis, nec non quoad capita huic coniuncta de mundi condendi negotio, de anima, atque hac vita ei subeunda et peragenda, Gnosticorum placitis aliquatenus cognata sunt dicenda. Quemadmodum ea omnino, quae externo quodam impulsu agitantur, ab iis, quae se ipsa movendi (sua sponte agendi) facultate gaudent, seu ea, quae temere ac sine ordine fieri videntur, ab iis quum distinguere vellet, quae certam quandam rationem sequuntur atque ad finem quendam tendunt, necessi-

---

12) Eodem spectare videtur *Pythagoreorum* δυὰς ἀόριστος, licet minus enucleata sit horum sententia.

tatis notione comprehendere illa soleret, consilio scilicet seu eligendi arbitrio oppositae, ita de necessitate tamquam de lege seu principio universi etiam disseruit tunc praepotenti, quum indiscreta omnia indigestaque adhuc fuissent, deinde vero divinae mentis, sapientissimae moderatricis, regimini subiecto, quae ad eventum quam optimum omnia perduxerit [13]); velut inaequali motu concitatam et turbide iactatam molem illam conditoris arte nondum ornatam et excultam descripsit [14]); ad vitiosum quendam habitum et affectum corporeae naturae insitum, quo ex priori sua deformitate reliquo quae laborent, utut praeclare ceterum et egregie instructa, sua sponte ad ἀταξίαν procliviora, modum sibi statutum transire et ab ordine servando decedere conentur, referenda

---

13) v. *Timaeum ed. Bipont. Vol. IX. p. 339:* μεμιγμένη — ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγενήθη· νοῦ δὲ ἀνάγκης ἄρχοντος, τῷ πείθειν αὐτὴν τῶν γιγνομένων τὰ πλεῖστα ἐπὶ τὸ βέλτιστον ἄγειν, ταύτῃ κατὰ ταυτὰ δι' ἀνάγκης ἡττωμένης ὑπὸ πειθοῦς ἔμφρονος οὕτω κατ' ἀρχὰς ξυνίστατο τόδε τὸ πᾶν.

14) *Tim. p 305:* βουληθεὶς — ὁ Θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον.

esse duxit, quaecunque minus perfecta in hoc orbe nostro apparent [15]). Praeterea ut Deum, praestantissimorum quorumque opificem et perennium, a procreandis, quae fragilia, fluxa et caduca sint, remotum declararet, producentem animas quum mundum condidisset, animantium tamquam mortalium generationem, idea conceptam, inferioribus diis administrandam demandavisse eum finxit. Disparem vero, quam esse videmus, animantium genere diversorum conditionem, variamque singulorum sortem eorum et naturae indolem (reliqua, quae ad Theodicaeam spectant, persecuturus) a prioribus animarum

---

15) *Politic. ed. Bip. vol. 6, p. 37, vitiorum et perturbationis causa est mundo* τὸ σωματοειδὲς τῆς συγκράσεως —, τὸ τῆς πάλαι ποτὲ φύσεως ξύντροφον, ὅτι πολλῆς ἦν μέτοχον ἀταξίας πρὶν εἰς τὸν νῦν κόσμον ἀφικέσθαι· παρὰ μὲν γὰρ τοῦ συνθέντος πάντα καλὰ κέκτηται· παρὰ δὲ τῆς ἔμπροσθεν ἕξεως, ὅσα χαλεπὰ καὶ ἄδικα ἐν οὐρανῷ γίγνεται, ταῦτα ἐξ ἐκείνης αὐτός τε ἔχει καὶ τοῖς ζῴοις ἐναπεργάζεται. Fabulam ornans de mundo post certi cuiusdam temporis decursum a Deo ipsius curae sui derelicto, deinde auctoris et rectoris, cuius haud immemor initio quidem esset, oblivione paulatim capto, adeoque quum defloresceret, quae bona et pulchra in eo fuissent, ad pristinum chaos iamiam se inclinante, nisi, a Deo ope denuo ei allata, restitutus esset, naturae defectum a ratione et mente rerum ordinem administrante h. l. adumbrat.

uniuscuiusque studiis et voluntatis habitu, mentis ad meliora aut deteriora inclinatione repetiit, adhibito et sua ex mente interpretato Pythagorae dogmate de animae, priusquam cum corpore iungatur viventis, migrationibus, cui ob psychologiae et dialecticae etiam rationes addictus esset (*v. Phaedon.*), sententiis ceterum pro cuiusque dialogi scopo et fine varie dispositis, fabulisque apud gentes vulgatis dum interserebantur seu allegoriis exprimebantur, ingeniose et artificiose adumbratis. Animae denique haud optimum esse, neque naturae eius consentaneum corporis commercium placide questus, recte philosophantis mentem ad huius vitae finem, ut a vinculo solvendam illo, intentam, atque ad aeternarum rerum consuetudinem et intelligentiam, qua postea gavisura esset, propensam dixit Plato, cui cognitio sensibus parta haud minus manca esse videbatur, quam affectus sensibus excitati moribus perniciosi. — Verumtamen, quod minime praetermittendum, neque hunc mundum est aspernatus, ut qui secundum aeternarum idearum exemplar fuisset effectus, neque hanc vitam vilem et fugiendam esse docuit, deorum videlicet custodiae commissam. Longe abfuit ab eiusmodi opinione, qui pulchri oculis obiecti sensu ad pulchritudinis intellectum se efferri profiteretur (*Phaedr. Sympos.*). Hominem probum ita comparatum esse voluit, ut divinum illud, quod nobis insit, in capite tamquam in arce collocatum, reliquas animae partes regat, neque

ab eo, quod irascitur, aut ab eo, quod concupiscit, vincatur; non vero ut inferiores hae animi facultates aut corporis vires naturali suo munere destituantur, aut cura sibi debita orbentur [16]).

Idem fere, quod de *Platone* modo observabamus, in eos quoque valeat, necesse est, qui ducem illum in philosophando et magistrum sequentes circa prima p. Chr. tempora floruerunt, quandoquidem non de singulis forte quibusdam singulorum opinionibus, quae aliae atque aliae subinde exsistere poterant, sed de praecipuis, et quae

---

16) Confirmare videntur hanc opinionem nostram, quae apud *Clementem Alex. Strom. l. III* (ubi varia sectarum quoad matrimonium et feminarum usum falsa praecepta perstringit), *cp. 3, p. 515 sqq.* de generatione animantium vituperanda secundum *Marcionitarum* dogma, cum *Platone* et *Pythagoraeis* quodammodo iis commune, leguntur; ex quibus etiam agnoscere licet, quo sensu horuncce philosophorum disciplina imbuti eruditique sint dicti istius generis haeretici. Etenim *Marcionitarum* capitalem errorem de demiurgo a supremo Deo longe diverso, eiusque opere tali artifice digno (quae sit causa quoque eorum continentiae) postquam notavit, his verbis comparationem prosequitur: *οἱ φιλόσοφοι δὲ ὧν ἐμνήσθημεν, παρ᾽ ὧν τὴν γένεσιν κακὴν εἶναι ἀσεβῶς ἐκμαθόντες οἱ ἀπὸ* Μαρκίωνος, *καθάπερ ἰδίῳ δόγματι φρυάττονται, οὐ φύσει κακὴν βούλονται ταύτην εἶναι, ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τῇ τὸ ἀληθὲς διαδούσῃ, κ. τ. λ.* (*p. 516*). Deinde variorum dicta huc pertinentia Graecorum philosophorum poe-

ad universae rationis summam spectant, scholae dogmatibus hic quaeritur. Si ex proposito nostro omnibus inhaerendum esset, quae probabilitatis quandam speciem, qualemcunque, prae se ferant, hoc loco forte non silentio transmittendum foret, perinde ac Gnosticos *Philonem Judaeum* etiam, cui *Numenium* adscribere liceret [17]), praeter supremum Deum secundarium quendam, seu vim divinam ab ipso discretam introduxisse tanquam mundi effectricem, rectricem et conservatricem. Quarum vero notionum quanta sit differentia,

---

tarumque commemorat, gnomicorum inprimis et tragicorum, gravem et iniquam hominis sortem, diramque ei impositam nascendi et vivendi necessitatem accusantium (qualia nativum eorum animi sensum et affectum exprimere videntur, qui e fatali lege, in universo scilicet constituta, metiri solent rerum eventum). *Platonis* vero sententiam de animo invite cum corpore iuncto, e libris eius copiose descriptam, ad *Marcionis* rationem referens, diiudicat (*p. 518 sqq.*), haud neglectis, quae longe aliter atque hunc de mundo et vita nostra sensisse illum ostendunt; imo *Phaedonis* locum de philosophi animo corporis consortium fugiente comparat cum apostoli dicto: *O me infelicem hominem! quis me liberabit e corpore hoc mortali!* — Similiter *Pythagorae* quoad abstinentiam exercendam institutorum, ut ab invidia defendendorum, causam suscipit (*p. 521*).

17) Utriusque huius inter *Pythagoreo-Platonicos*, quos vocare solemus, fere praecipui dogmata collata v. apud *Cl. Tennemannum*, *Geschichte der Philosophie*, *Bd. V*, *p. 234 sqq.*

neminem facile praeteribit, qui philosophorum placita paulo curatius tractare atque ad sententiarum nexum ubique respicere adsueverit. Etenim ex philosophorum, quos memoravimus, opinione est Intellectus divinus, ideas continens et complectens, exempla rerum sensilium, qui harum opifex sit dicendus. Argute disputando de Dei perfectissimi essentia simplici et immutabili, qui quum ad sensilium multitudinem et vicissitudinem, nulla media causa intercedente, velut ab ipso constitutam referatur, administrandis iis intentus ditrahi quasi et e statu suo dimoveri videatur [18]), atque de natura ipsius incorporea [19]),

---

18) v. *Numenium* ap. *Eusebium praeparat. evangel. l. XI, cp. 18, ed. Viger. Colon. 1688 p. 537*, ὁ Θεὸς ὁ μὲν πρῶτος, ἐν ἑαυτῷ ὤν, ἐστὶν ἁπλοῦς διὰ τὸ ἑαυτῷ συγγινόμενος διόλου μή ποτε εἶναι διαίρετος ὁ Θεὸς μέντοι ὁ δεύτερος κ. τ. λ. (inaequalitas et inconstantia sensilibus insita accomodate ad reliqua scholae dogmata notione materiae primae temere motae et dyadis exprimitur, quae occupatum teneat opificem) τῷ οὖν μὴ εἶναι πρὸς τῷ νοητῷ — διὰ τὸ τὴν ὕλην βλέπειν, ταύτης ἐπιμελούμενος ἀπερίοπτος ἑαυτοῦ γίνεται. Et paulo inferius, p. 539: δηλονότι ὁ μὲν πρῶτος Θεὸς ἔσται ἑστώς, ὁ δὲ δεύτερος ἔμπαλίν ἐστι κινούμενος (de fut. ἔσται cf. *Vigeri annotat. p. 52*). Proinde *ab omni opere vacare* dicitur summus Deus, *p. 537*.

19) *Numen. l. c. p. 539*: ὁ μὲν — πρῶτος περὶ τὰ νοητά, ὁ δὲ δεύτερος περὶ τὰ νοητὰ καὶ αἰσθητά.

quem non nisi cogitando agentem et decernendo efficientem animo nostro comprehendere possimus [20]), neque ullo modo visibilibus hisce cognatum aut similem existimare fas sit [21]), in opinionem illam adducti, minime tamen, quod sua sponte patet, dum sic ratiocinabantur, ab altero alterum rerum atque causarum genus discrimine aliquo, quod omnem arctiorem necessitudinem

---

20) *Philo de sacrif. Abel. et Cain. opp. ed. Pfeifferi Vol. II, p. 104*, supremi Dei consilio nutuque ipso factum esse ut omnia producerentur, neque temporis finibus circumscriptam aut legibus subiectam hactenus fuisse mundi creationem, sermonis imagine utens a Mose mutuata, his verbis exprimit: *ὁ — Θεὸς λέγων ἅμα ἐποίει, μηδὲν μεταξὺ ἀμφοῖν τιθείς· εἰ δὲ χρὴ δόγμα κινεῖν ἀληθέστερον, ὁ λόγος ἔργον αὐτοῦ* (*dictum et factum idem est*, v. Interprett.) Eodem spectat alius locus, ubi *mundum intelligibilem nihil aliud esse* dicit, quam *Θεοῦ λόγον* (mentem, intellectum) *ἤδη κοσμοποιοῦντος*, v. *de mundi opif. opp vol. I, p. 14.*

21) v. quae e *Philonis ζητημάτων καὶ λύσεων* libro primo transscripta exstant apud *Eusebium* in *praeparat. evangel. l. VII. cp. 13: διὰ τί ὡς περὶ ἑτέρου θεοῦ φησι τὸ, ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' οὐχὶ τῇ ἑαυτοῦ; παγκάλως καὶ σοφῶς τουτὶ κεχρησμῴδηται· θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεύτερον θεὸν, ὅς ἐστιν ἐκείνου Λόγος, κ. τ. λ.*

sustulisset, separare volebant, quippe qui adeo utrumque invicem sibi accomodantes, ut cum deteriori alterum, virtute praestantius, salva et incolumi ipsius naturae proprietate bona sua communicare potuerit, inter se concilianda potius ea curarent [22]). Duplex divini Intellectus, summi Dei ideam exprimentis et imaginem referentis, secundum eorum sententiam est habitus et vis aut agendi modus. Tum circa incorporeas illas rerum species intelligibiles versatur, tum in effigiebus earum et simulacris occupatur, quae mundum sensibilem constituunt [23]). Gubernatoris

---

22) Ceterum si hoc unum, quamvis maximum, excipiamus, quod mundum conditum ab Intellectu divino repetierunt *Platonici*, haud aliena fuisse videntur Gnosticis, quae de illius natura praedicarunt. Cuius rei documento sit *Valentinianorum* Νοῦς vel Μονογενής, v. *Iren. l. I, cp. 1, §. 1, Eclog. Theodot. §. 7, 8, 10.*

23) *Philo, de vita Mosis l. III, ed. Francof. 1691, p. 672:* διττὸς γὰρ ὁ λόγος, — ὅ, τε περὶ τῶν ἀσωμάτων καὶ παραδειγματικῶν ἰδεῶν, ἐξ ὧν ὁ νοητὸς ἐπάγη κόσμος, καὶ ὁ περὶ τῶν ὁρατῶν, ἃ δὴ μιμήματα καὶ ἀπεικονίσματα τῶν ἰδεῶν ἐκείνων ἐστὶν, ὧν ὁ αἰσθητὸς οὗτος ἀπετελεῖτο. Duplicem perinde in homine λόγον esse (ambiguum vocis significatum tenens) observat, intellectum scilicet, in mente habitantem (λόγον ἐνδιάθετον), et sermonem (λόγον προφορικὸν); alterum a primo tanquam fonte suo proficisci.

instar, qui coelum contemplans navis cursum regit, his inferioribus dum praesidet, aequabilemque vult ac stabilem eorum ordinem efficere, supremum Deum (immutabilem) intuetur, ideisque (ut ille Cynosura sua) ductus, universi harmoniam moderatur [24]).

Longius produci posset haec comparatio, si de recentioris etiam, quae vocatur, scholae, Platonicis disputare placeret, qui vestigiis illorum nempe cum insisterent, ceteroqui in retractandis et suo more excolendis augendisque veterum dogmatis aliquanto ulterius sunt provecti. Clarissime *Plotini* liber adversus *Gnosticos* conscriptus, quale fuerit utriusque rationis discrimen, ac manifestissime docet, siquidem ex antithesi praesertim, quid differat inter sententias philosophorum, agnoscitur. Omnino enim id egit scriptor, ut probaret ac declararet, universa ex communibus

---

24) *Numen. l. c. p. 539:* κυβερνήτης — θάλατταν· οὕτω καὶ ὁ δημιουργὸς τὴν ὕλην, τοῦ μήτε διακροῦσαι μήτε ἀποπλεχθῆναι αὐτὴν, ἁρμονίᾳ ξυνδησάμενος, αὐτὸς μὲν ὑπὲρ ταύτης ἵδρυται, οἷον ὑπὲρ νεὼς, ἐπὶ θαλάττης, τῆς ὕλης, τὴν ἁρμονίαν δὲ ἰθύνει ταῖς ἰδέαις οἰακίζων, βλέπει τε ἀντὶ τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὸν ἄνω θεὸν, προςαγόμενον αὐτοῦ τὰ ὄμματα, λαμβάνει τε τὸ μὲν κριτικὸν ἀπὸ τῆς θεωρίας, τὸ δὲ ὁρμητικὸν ἀπὸ τῆς ἐφέσεως. Alio loco (p. 537) τὸν δεύτερον et τὸν τρίτον θεὸν vere unum esse dicit.

principiis pendere, singula quaevis quoad causam et finem suum aptissime invicem sibi respondere, neque pravum, aut temere constitutum et arbitrarium esse ordinem, quo ea sese subsequantur, alia videlicet aliis inferiora, sed iustissimum ac necessarium; mundum visibilem, quantum per eius essentiae leges liceat, intelligibilis simillimum, et Dei curae providentiaeque esse participem, et totum ita esse instructum, totque praeclara et divina imo complecti, ne, nisi ab impio quodam pulcrique haud secus ac veri sensu carente vituperandus existimari queat, aut auctor eius accusandus [25]).

Haec de haereticis philosophiae illi, cuius auctoritas tunc inter multos recepta esset, sive consentanea, seu aliena tradentibus summatim annotavisse sufficiat, neque in singulis, quae eodem pertinent, memorandis et inter se conferendis, ne supra modum prolixa fiat disputatio, iam immoremur. *Plotinus* Gnosticos eos, quibuscum controversia ei fuit, tales exhibuit, qui

---

25) *Plotin. Ennead. II, l. 9.* — Ceterum singulari quodam modo Gnosticorum figmentis consimilia nonnulla et congrua apud Platonicos quarto et quinto p. Chr. saeculo celebres, *Jamblichum* inprimis et *Damascium*, deprehendimus (ut taceam de *Hermeticis* illis, quae tunc circumferebantur), ubi de diis, daemonibus, animis verba faciunt, mystagogi haud minus, quam philosophi. Cf. *Massueti in Irenaei libros dissertt. primam.*

quum recta et sana quaecunque proferrent, licet ab ipsis male intellecta ot additamentis ornamentisque parum concinnis aucta, a Graecis veteribus, Platone inprimis, mutuati essent, minime tamen honore debito hosce magistros suos dignarentur, neque omnino Graecorum philosophiae iustum pretium statuerent [26]). Alios aliter ac hos erga insignes quosdam inter antiquos philosophos affectos fuisse constat [27]). In universum vero aestimanti, non Graecis praecipue acceptam referre sapientiam suam istos voluisse, ipsorum dicta quaedam probare mihi videntur, quae suo loco allaturus et explicaturus sum.

---

26) *Plotin. l. c. cp. 6, p. 203, 204.*

27) Apud *Carpocratis* sectatores tanti nominis fuisse *Pythagoram, Platonem, Aristotelem* aliosque philosophos, perhibetur, ut imagines eorum una cum Christi imagine (in aedibus suis) constitutas servarent, v. *Iren.* l. I, cp. 25, §. 6 (de qua eorum consuetudine non ad idolorum cultum referenda cf. *Münter üb. d. kirchl. Alterth. d. Gnost. cp. 5, p. 231 sqq.*).

CAPUT V.

COMPARATUR

DOCTRINA GNOSTICA

CUM

CABBALA JUDAEORUM.

Praeter eos veterum locos, quibus in origine Gnosticismi investiganda Graecarum fabularum philosophiaeque memores esse iubemur, nonnulli exstant, qui incertos nos reddere possint, Judaicisne a fontibus illa forte sit repetenda. *Hegesippus*, rerum ecclesiasticarum scriptor vetustissimus, ab *Eusebio* aliisque ob industriam in his exquirendis positam laudatus, cuius *Commentarii* iniuria temporum nobis erepti sunt, in *fragmento* apud *Euseb. H. E. l. IV, cp.* 22 servato *Simonem* et *Dositheum*, — aliorum simul quorundam nomina memorans praeterea fere ignota — Judaicarum sectarum e medio progressos esse refert, ex quorum haeresibus plures deinde sint subortae (quas singulas enumerat, Gnosticas scilicet secundi sae-

culi praecipuas). — *Ignatius* in *epist. ad Magnetes*, ubi Judaismo deditorum praeiudicatas opiniones a Christiana religione alienas esse monet, inter media, quae huc pertineant, notanda Gnosticorum de Λόγῳ commentum aliquod perstringit [1]).

Haec veterum indicia sequentes, recentiores quidam scriptores eo adducti sunt, ut in *Cabbala* illa Judaica Gnoseos semina quaererent, *Valentini* Aeones praesertim, et quae de animarum natura et sorte varia hic docuerat, cum *Sephirarum* et *animae revolutionis* systemate comparantes [2]). Quorum opinio cum sit ab ipsis copiose et erudite exposita, iam dispiciendum est, quid veri ea contineat. Ante omnia, ut rerum notiones probe distinguamus, de *dualismi* et *emanationis doctrinae* vi et significatione, atque ratione universa quaedam sunt animadvertenda.

Doctrina de duobus omnium principiis e Dei voluntatis idea pendet, velut morali sensui nostro consentanea, cui adeo alienum sit malum, ut plane comprehendi non posse videatur, unde hoc exstiterit atque provenerit, nisi eidem illi, cui no-

---

1) *ed. Coteler. p. 19:* Θ. λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν.

2) v. *Francisc. Buddei dissert. de haeresi Valentiniana*, quae eius *Introductioni ad historiam philosophiae Hebraeorum* subiecta est; *Jac. Basnagii, histoire des Juifs, liv. III, cp. 28, p. 718 sqq.* Cf. *Tittmannum l. c. p. 55.*

tione et intellectu opponitur, sua sponte, suo motu aut actu quodam adversum existimetur; quod ubi adsit, non solum penitus tollat illud, sed et aliud quiddam, eique infensissimum, in locum eius substituat, sive disertius loqui malueris, quod in negando non solum illo cernatur, sed in affirmando etiam eius contrario. Enimvero rei cardo in eo vertitur, ut omnium, quaecunque perperam et inique fiunt, aut contra rationis legem perpetrantur, ut a Deo, bonorum auctore, abhorrentium, suprema causa ad alteram vim quandam in universo potentem, alteriusve sui similium effectoris voluntatem actuosam et multa cientem, Dei ipsius imo a numine ac moderamine aliquatenus exemtam, referatur, suaque natura, suo impetu aut impulsu ei obnitentem. Haec vero ratio, rite perspecta, non potest, quin tunc demum sibi constare, et rem ad finem eum, quo tendit, perducere dicatur, cum potentia et efficientia sibi aequales duo universorum auctores ac praesides, ambo sempiterni, introducantur. Eae, quae medium tenent inter dualismum et theismum (ut fere dicere solemus) sententiae, quibus vis Dei adversaria sive quoad essentiam et diuturnitatem, seu quoad agendi et se exserendi facultatem, velut certo quodam modo et fine terminata et circumscripta, ipsi subiecta redditur, quidquid habeant, cur ad mali originem et naturam symbolice adumbrandam idoneae iudicari possint, subtilius et enucleatius philoso-

phanti certe nodum haud expedire posse videntur, et suis quaeque difficultatibus premi. Cum doceatur, natura sua bonum, perverso voluntatis motu a Supremo descivisse et declinavisse malorum principem, ille eius actus Deo infensus, a quo peccatum exortum dicitur, tanto magis eget explicatione iusta et divini numinis ideae consentanea, quanto graviores inde repetantur consequentiae. Nihilominus historiae religionum veterum ac philosophiae monumenta plura mixti huius generis dualismi exempla offerunt, quam eius, qui proprie dualismus vocatur, qui quamquam quaestionem difficillimam de malo quodammodo solvere videtur, cum implacabile rerum dissidium introducat, humano sensui repugnans, haud bene multis adeo se commendaverit.

Jam, nisi fallor, apparet, quo pacto dualismus in emanationis doctrinam abire potuerit; nam ubi semel eo perventum erat, ut vis malorum effectrix velut finita quoad essentiam aut actionem, et e supremo omnium auctore pendens cogitaretur, dubitatio de huius consilio oriri debebat, cui tollendae haud sufficiebat, ut intervallum et discrimen quantumcunque et qualecunque inter utramque rerum causam intermitteretur, nisi quodam, licet alio, quam antea, sensu alteri altera e regione opponeretur. Haud insolitam inusitatamque fuisse ingenio humano hanc meditandi viam, documentis ex historia petendis

comprobari posset; quod vero negotium, ut brevitati consulamus, lectoribus nostris relinquere satius sit.

Emanationis notio philosophica eo continetur, ut, salva universi unitate et cohaerentia omnium eius partium, ex absentia et defectu boni origo mali repetatur. Cuncta quoad supremam causam suam ad Deum referens, atque ab eo, quod sit absolute perfectum, ad singula quaeque praestantiora aut deteriora alia aliis postponenda progrediens, varia eorum genera, velut per graduum seriem numero finitam ordine continuo se subsequentia, a summo loco emanationis doctrina usque ad imum prosequitur, infra quem nihil aliud sit, nisi quod bono quoad habitum et effectum qualicunque prorsus careat, ideoque, per se spectatum, sit malum, cum cetera quaelibet, ad alia relata tantum mala sint dicenda, et, cum his aut illis comparata, peiora aut meliora. Audiamus *Plotinum*, qui plene exposuit et subtiliter pertractavit hanc sententiam: „Mali necessitatem," inquit, „hac ratione considerare licet: nempe „cum bonum non maneat solum, nimirum ne„cesse est digressione quadam ab ipso procul „tandem accidere malum; vel si quis ita malit „dicere, videlicet perpetua quadam subiectione „atque distantia ultimum provenire, ultra quod „aliud quicquam fieri nequeat, idque ipsum esse „malum: necessitate vero esse aliquid post ipsum

„primum, ideoque et ultimum — (sc. ita dicere „ei permissum est).“ 3)

Haec mali explicatio sicut aliqua ex parte dubitantibus satisfacere potuit, ita, si accuratius pervestigabatur, alia ratione mancam se debuit praebere, nec ad quaestionem illam, quae maxime occupatos teneret veteres philosophos, plurimumque negotii iis crearet, e tricis suis expediendam plane idoneam. Mali enim vis cum in boni defectu poneretur, eius descriptio, quippe quae negando solum, quod non esset ipsum, efficeretur, nimis inanis apparuit, quam ut ipsius natura ita perspici posse videretur; atque in promtu fuit, utriusque notionem alterius haud vere contrariam constitui, cum transitus ab altero ad alterum sola in graduum differentia cerni diceretur. Quare interdum etiam accidisse invenimus, ut iidem, qui ab emanationis doctrinae principiis

---

3) *Ennead. I, l. 8, cp. 7 fin. p. 77, Ficino* interpr. Primum illud, cui boni idea est adiuncta, secundum *Plotini* metaphysicam est τὸ ἕν, maxime simplex et sibi sufficiens omnium causa (unitate enim omnia quasi continentur, eaque in singula quavis re aut notione sublata, haec ipsa evanescit); ultimum ei e regione positum est τὸ ἄπειρον, materia indefinita, forma et qualitate carens. Ceterum haud tempore et antiquitate, sed vi tantum ac virtute, causae aut effectus ratione alia aliis superiora aut inferiora dicuntur; nam „necessario cum primo est alterum etc.“

erant profecti, dum de ipso malo disceptabant, et, hoc per se consideratum quid sit, declarare volebant, ad graviorem, quam proprie iis consentaneum erat, eius ideam animo concipiendam, vividioremque eius imaginem adumbrandam inducerentur, quo facto autem pro ratione dogmatum suorum iam prope ad dualismum se inclinarent.

Videmus ergo, sententias, quae cum ita, ut consequens erat, neque intra fines argumentorum quosdam inconstanter positas contentae quasi et cohibitae, sed ad extremum deductae, pertractarentur et absolverentur, vel maxime invicem sibi contradicebant, vulgo tamen, dictas ob causas, haud adeo discerni atque distingui esse solitas, ne ulla iis intercedere necessitudo, nec accommodari alteri altera potuisset. Quibus perpensis iam ad propositum revertamur [4]).

Gnosticorum ratio et sententia prorsus ad dualismum spectat. Hi enim haeretici a vera boni malique antithesi constituenda progressi, minime censebant, demto atque sublato illo hoc effici, aut nihil nisi adventicium aliquid esse (non inter ea, quae *κατ' οὐσίαν sint*, referen-

---

4) Me hoc loco, ut in quaestione tractanda, in qua falsum evitare magis in promtu sit, quam verum tangere, ex consilio scribendi universo historici solummodo partes agere voluisse, vix est quod moneam.

dum); neque de causa eius disputantes iis assentiebant, qui, quoad mala externa in divina providentia acquiescentes, quae morali significatu mala dicuntur, haud altius quam ab ipso libero voluntatis usu, animantibus mente praeditis Dei sapientia nimirum concesso, repetenda ducerent [5]). Quapropter plerique eorum, duas (vel plures) esse rerum causas principio carentes, alia vel alia ratione sunt professi. Nonnulli quidem omnia quoad essentiae causam ultimam ab uno fonte quodammodo deduxisse videntur, quibus etiam haud alienum fuit, ut virtutis et perfectionis graduum seriem quandam et consecutionem fingerent, cum de intelligibilibus hariolarentur. *Valentini* nempe doctrina mythice adumbrata hanc sententiam exprimit. At vero eam emanationis ideam hic delineavit, cui et ipsi duplicis

---

5) Ratio ea, qua malum inter τὰ ὄντα refertur, et proinde ad causam suam fontemque revocatur, quamvis ad Gnoseos universae summam spectans, distinctius tamen et explicatius quam alibi edita alterique sententiae opposita est in *Dialogi de recta fide Sect. III*, ubi *Bardesanis* adsecla eius auctor introducitur. — Quae ex adverso haereticorum dualismi de malo eo fine, ut mens ac voluntas arbitrio suo polleat, admisso et possibili facto in medium proferre soliti sint ecclesiae doctores, praeter *Adamantium*, h. l. disputantem, recordari te faciat *Tertullianus adv. Marcion. l. II, cp. 5, 6*, ne plura huiusmodi cumulem.

rerum ordinis notionem quandam inhaerere, manifestum et perspicuum sit [6]).

Magis sibi constans emanationis idea, licet per aenigmatum, et singulari modo improprie dictorum ambages quasdam expressa, in *Cabbala Judaica* est proposita. Universorum ortus, ac singulorum quorumvis essentia et vigor continuus

---

6) Series enim continua eorum, quae essentiae, virtutis, causae et effectus ratione alia aliis postposita per Aeonum stirpem enumeratam declarantur, hac finita subito quasi media interrupta, atque intervallo quodam immenso facto a sublimioribus illis mundana haec, velut aliena, seiuncta et seclusa videntur, cum fabula de *Sapientia*, vel *Achamoth*, in Aeonum numero ultima, interponatur, inconsiderato scilicet immoderatoque Patrem incomprehensum agnoscendi desiderio correpta, animique aestu misere perturbata et afflicta, postea vero, Sotere opem et medelam afferente, restituta atque correcta, cuius libido temeraria, veluti falce resecata atque ab ipsa remota et extrusa, in materiam rerum subinde concreverit. — Idem ille *Valentinus* in *fragmento*, quod exstat in *Dialogi de recta fide Sect. IV*, materiae cuiusdam primigeniae, ex qua omnia expressa atque efficta sint, vitio insito et a pristino inde statu adhaerenti mala imputanda praecipit (planiori enucleatiorique, quam ex more suo praeterea cognito, Graecorum fere ad instar philosophorum, utens oratione, quos et ipsos hoc loco in sententia sua proferenda singulisque dictis imitatur; v. *Origen. opp. T. I, p. 841*). Equidem hasce eius opiniones, non satis ex omni parte invicem sibi consentaneas, eatenus inter se conciliandas putaverim, ut a dualismo

ad supremi auctoris effectorisque ἐνέργειαν a Cabbalistis refertur, et cum Dei praestantiam et efficientiam, haud secus ac Gnostici, purissimae et splendidissimae lucis effigie comprehendant, divinae lucis radium tamquam vim continentem et vegetantem omnia inferiora describunt [7]; quorum ratio et conditio ex eorum opinione fere haec est: animae a Deo productae, prout insitam sibi virtutem conservaverunt, aut cupiditatis sibi mi-

---

profectum esse eum, coniectemus, deinde vero intentius de rerum causis meditando adductum, ut ad unum principium omnia revocaret; quod per figmenta nempe illa apud *Irenaeum* descripta efficere voluisse videtur, cum idem, quod materiae inconditae tamquam proprium ac peculiare et ipse alias et eius similes tribuere solerent, temere scilicet ut agitaretur et sine ordine moveretur, ad intelligibilia et intellectualia quodammodo etiam transferret, et ex mentis intellectusque quodam habitu perverso et naturae contrario visibilis substantiae originem derivaret. Ceterum haud defuerunt interpretes, qui *Valentini* fragmentum illud et placita eius ab *Irenaeo* exposita adeo concinnare et inter se coniungere vellent, ut in unius doctrinae quasi corpus coalescerent. Quorum ratio, si recte eam consideramus, contortior esse videtur. Praecipuus inter eos *Beausobrius* v. *H. d. M. T. II. p. 158—165.*

7) *Lumen, quod omnium intimum est, Connexio connexionum etc. Cabbalae denudatae* locos huc referendos indicavit doct. *Kleukerus*, v. *über die Natur und den Ursprung der Emanationslehre bei den Cabbalisten, Riga 1786, 8, p. 19* (cf. *p. 7—22*).

nus congruae quodam nutu deductae, a pristino suo statu declinaverunt, in diversos ordines divisae, per varios mundos distribuuntur, quorum unusquisque tanto imperfectior est praecedente, quanto a summo fonte remotior, quantoque tenuiorem vim ab ipso accipit. Materialis mundus infimum locum obtinet, animaque cum corpore coniuncta in ultimo vitae gradu est collocata. Materia extrema est pars universi, malorum sedes, quae animas, suo motu altiora petentes, velut dura quadam cortice involutas, captivas detinet, quamquam in hac etiam est conspicua vis illa omnia penetrans atque ciens, quatenus consistit ea et viget, quae eo ipso conservatur nutriturque, quod animas includit. — Res imo corporeae etiam quodammodo sunt animantes, vel potius sunt animae; nam materiam si per se spectes, nihil nisi inane aliquid et mortuum ea videtur esse [8]); quare dilapsura est, quando animae a vinculis eius liberatae fuerint.

---

8) Recentiores certe Cabbalae interpretes Judaei, cum a vacuo quodam, luce infinita alicunde se retrahente ac removente, facto, cui deinde ipsa radios suos immiserit, orta esse inferiora quaeque, finibus suis circumscripta, fingant, materiam non nisi verae essentiae defectu provenisse, vi divina vero ei affluente sola contineri et consistere, suo more declarant. *R. Jizchak Loria, tract. 1, l. Druschim*, v. *Cabb. denud. T. I, Part. II, p. 41:* „Non — potuissent subsistere vasa (res corporeae, lucis receptacula),

Ex Valentini dogmate, in antecedentibus memorato, naturalis quaedam est animarum differentia, quasi meliorum aut peiorum, quasi earum, quae ad suprema illa se erigere valeant, aut earum, quae inferioribus hisce sint addictae. Haec sententia, quae est ex intimo, ut ita loquar, dualismi recessu depromta, cum Cabbalae ratione haud bene conveniret; Cabbala enim omnes potius animas sicut a Deo procreatas, ita initio pariter in mundo perfectionis (*Aziluth*) collocatas fuisse perhibet, nonnullas vero subinde sua culpa in alterum devenisse, quae postea aut in hoc manere, aut gradatim ulterius demitti meruerint; sic usque ad infimum quasdam esse delapsas, in quo et ipso haud adeo depressae teneantur, quae eum habitent, ut resurgere, et virtute ac mentis nisu altius se elevare omnino nequeant [9]).

---

nisi penitus sublato lumine etc.," et *p. 42:* „vasa autem per se sunt lux tenuissima." Cf. locum *Mos. Corduero* exhibitum a *Bruckero* in *Histor. crit. philos. T. II, p. 1027.*

9) De ordine creatorum omnium per seriem mundorum continuam se subsequentium v. *J. Loria l. c. p. 30.* — Nonnullae animae divino quodam fato, non suo merito deorsum venire dicuntur; easdem vero, affirmatur, vi aliqua divina munitas et agitatas, tuto certeque in mundum supremum reverti, v. *Henr. Morum* ap. *Buddeum* in *Introduct. ad histor. philos. Hebr. 1702, 8, p. 359, 360.* Num hoc commento explicandus forte prophetarum et virorum sanctorum adventus?

Sed cum talia praetermittas, eorum haud immemor, quae de dualismo et emanationis systemate universo observavimus, non poteris, quin plurima ex parte Gnosi consentaneam Cabbalam esse videas. Non solum enim theologia omnis Cabbalistarum, et quae singula proferunt de *Luce infiniti*, *Antiquo dierum*, *Primo solo*, essentiae profunditate abscondito (*Occulto occultorum*) et nondum actu manifestato, de Primogenito eius (*Microprosopo*) in cuius speciem ipse *se conformaverit*, per membra quasi digestus (proprietatem suam exserens), quique omnium rerum *formas* ac *nomina* contineat, de *Sephiris*, Dei virtutibus et facultatibus lucis emanationem ministrantibus, de *regum Edomiticorum lapsu*, de *spiritu naturae* etc. Gnosticorum, Aegyptiacorum praesertim, inventis figmentisque satis amice respondent, sed eandem fere mentem etiam sensumque produnt utrique, in eo, quod de rebus divinis cognitum habeant, ad humanas considerandas applicando, eandem animae vicem praesentem dolent, eandem a corpore liberandae felicitatem futuram crepant, eademque vaticinantur de imminente corporeorum omnium dissolutione.

Cum, recenti memoria, inter nostrates quaestio proponeretur, unde venerit Mosaicae legis cultoribus singulare istud philosophandi genus mysticum, quo Cabbala est effecta, eruditorum disputatione probabile est redditum, inter frequentem Hebraeorum exsulum cum Chaldaeis et

Persis consuetudinem, sacrarumque, quae apud hosce populos traderentur, disciplinarum usum, subinde scientiam eiusmodi sublimem ortam esse, quae a Judaeis tum Palaestinensibus, tum Alexandriae praesertim commorantibus postea aucta et amplificata sit, atque adeo perfecta, ut lineamenta eius prius descripta pigmentorum quasi coloribus inducerentur [10]).

Danielis aliorumque, qui exsilii tempore aut postea vixerunt, prophetarum scriptis, haud obscura, nec hodie apud nostrates pro ambiguis habita, ingenii Judaici Chaldaeo-Persicis doctrinis imbuti vestigia insunt. In *libro Sapientiae* nonnulla secundum Platonicorum non solum, sed Orientalium etiam sententias et loquendi usum explicanda detexit criticus in scrutandis V. T. libris exercitatissimus [11]). *Philo*, peregrinae sapientiae cultor, qui patriorum sacrorum disciplinae simplicitatem Graecorum elegantiae ornamentis comtiorem ut redderet, haud alienum duceret, ubi de Deo et animis scripsit, uberiori etiam elatiorique usus est oratione quadam, ab Orientalium stilo haud absona; cum in aliis singulis, tum in iis praesertim, quae ad virtutes atque agendi modos

---

10) v. *Kleukerum*, *l. c. p. 42 sqq.*

11) v. *Eichhorn*, *Einleitung in die Apocryph. Schriften d. A. T. Leipzig 1795*, *p. 101 sqq.* sed integra commentatio est legenda, si auctoris mentem recte intelligere vis.

de Deo praedicandos spectant, pertractandis iam solito propius ad Cabbalae indolem hic accessisse videtur [12]).

Sed non sufficit, ea commemorasse, quae forte fuerint primordia et elementa eiusmodi disciplinae apud Judaeos cultae; de ipsius Cabbalae in certam quandam formam redactae et numeris suis absolutae aetate potius quaerendum est ex instituto nostro. Quando talis ea exstiterit, accuratiori temporis ratione subducenda definiri propter penuriam monumentorum nequit. Sub finem vero primi p. Chr. saeculi et circa initium secundi iam viguisse eam, minime dubium est. Antiquitatis librorum *Jezirah* et *Sohar*, qui celeberrimis apud Judaeos auctoribus tribuuntur,

---

12) *Philo de nominum mutat. ed. Pfeiff. Vol. IV, p. 332* disputans de dicto illo: *ego sum Deus vester*, postquam monuerat, τὸ ὂν esse immutabile ac sibi sufficiens, neque cum iis comparandum, quae referuntur ad aliquid (οὐχὶ τῶν πρός τι), cum ipsius quidem sint omnia, ipsum vero proprie nullius, haec subiicit: τῶν δὲ δυνάμεων, ἃς ἔτεινεν εἰς γένεσιν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ συσταθέντος, ἐνίας συμβέβηκε λέγεσθαι ὡσανεὶ πρός τι, quas deinde singulas enumerat, nempe τὴν βασιλικὴν, τὴν εὐεργετικὴν, quibus cognata sit ἡ ποιητικὴ δύναμις, ἡ καλουμένη θεὸς, κ. τ. λ. Plura quae huc pertinent, collecta sunt in *Stahlii Lehrbegriff Philo's*, v. *Eichhornii Biblioth. d. bibl. Litt. Bd. IV, St. 5, p. 805 sqq. 815 sqq.*

probandae, et auctoritatis eorum corroborandae opera hoc loco nos facile supersedemus, cum ab optimis *Apocalypseos* canonicae interpretibus demonstratum sit, hanc non modo quod attinet ad elocutionem universam et adumbratas per metaphoram vel imaginem sententias Cabbalistarum ingenio respondere, sed integros etiam locos eius ad Sephirarum ordinem, numerorum mysteria et id genus alia referri, haud ambigue nimirum iis expressa [13]).

De hac Cabbalae aetate iam non incerti, nolimus tamen multo antiquiorem eam aestimare, quippe idoneis in hoc, et sufficientibus argumentis carentes. Quae de *Simeone Ben-Schetach*, Judaeorum doctore *Alexandri Jannaei* tempore claro, in libro *Kosri* afferuntur, nihil aliud probant, quam, *Rabbinorum* doctrinam ore traditam, legi scriptae interpretandae et amplificandae subiectam, Cabbalae nomine (a קִבֵּל, *accepit*, derivando) celebrem, tunc quodammodo in usu fuisse [14]).

---

13) v. *Herderi Maran Atha, p. 334. Eichhorn, über die Personification der Eigenschaften Gottes unter den spätern Juden, Allgem. Biblioth. d. bibl. Litt. Bd. III, p. 191 sqq.* Cf. *Rhenferd de stilo Apocalypseos Cabbalistico, Opp. T. I, p. 1 sqq.*

14) v. *Libr. Kosri P. III, p. 240 ed. Buxtorfii.* Locum integrum transscripsit *Bruckerus* in *Hist. crit. philos. T. II, p. 705, 706.*

Haec computantes, cum in idem fere tempus, quo et Gnosticae haereses subortae sunt, referendam esse Cabbalae scientiam videamus, paulo circumspectiores iam fieri debemus in alterius disciplinae ratione apud alteram quaerenda; certe similitudinis earum atque concinnitatis specie qualicunque ductis non licebit fidenter adseverare, hac integra, velut fundamento suo, illam fuisse nixam. Quae suspicio et dubitatio nostra augetur et confirmatur alio quodam argumento, quod est ex ingenii indole utriusque scholae magistrorum diversa, sententiarumque ipsarum notabili aliquo discrimine petitum. Quaecunque enim arcana fovere et sublimia hominum commenta exosculari Judaei iam tunc nonnulli consueverint, utut fuerit frequens apud veteres ecclesias, pro temporis locorumque circumstantia, Gnosticismi cum Judaismo aliqua coniunctio et mutua communicatio, insunt quaedam in illo, quae ab hoc magis abhorrent, quam ut Hebraeorum quorumvis inventis eius summa tribui possit. Commune nimirum — quod supra memoratum repetere consulto hucusque omisimus — commune fuit Gnosticorum, singulis tantum quibusdam exceptis, qui singulares ob causas hactenus cum ceteris quodammodo discreparent [15]), Mosaicae legis fastidium atque improbatio. Cum,

---

15) De *Cerintho* illo quae nostra sit opinio, supra diximus.

quod Dei naturae et voluntatis notionem in V. T. saepenumero ita expressam adumbratamve videbant, ut infirmiorum menti et animi sensui accommodata quaedam inde existeret eius imago, quasi mortalium fragilitas ipsi affingeretur, indigne isti tulerunt, tum in multis quoad Dei cultum, ritus moresque a legis latore praeceptis, quantumvis tempori suo ac loco consentaneis, offenderunt, ideoque totam imo V. T. oeconomiam dissolvere sunt conati [16]).

At forte ad testimonia illa veterum a viris doctis laudata, qui in alteram partem disputaverunt, diiudicanda revocabitur controversia, quorum auctoritati ex ipsa historia praesidii aliquid ac roboris accedere videtur, quoniam apud Samaritanos antiquissima doctrinae Gnosticae vestigia apparuerunt. Paulo accuratius ergo, quam hucusque factum est, iam haec, si placet, examinemus.

Ignatius l. c. a falsis opinionibus avertendos *Magnetes* suos hortatus, „nolint oblivisci, Judaicam (ceremoniarum) legem per Christum esse abrogatam, cui quum consentaneos se praesti-

---

16) Non vereor, ne quis hoc loco Judaeorum quorundam meminerit, qui prae nimio doctrinae ore traditae studio legem scriptam imo minoris aestimarent; cuius rei egregia documenta quaedam affert *Eisenmengerus*, v. *Entdecktes Judenthum*, *Thl. I*, *p. 329 sqq.*

tissent veteres prophetae, persecutioni obnoxii sint facti, divino afflatu ipsius gratia iis parto, ut, qui increduli, certi redderentur de Deo etc.," proxime sequenti sententiae: *unus Deus est, qui seipsum manifestavit per J. Chr. Filium suum*, illustrandae subiicit: ὅς (J. X.) ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν. Quae verba cum ad Gnosticorum argutias spectare haud inepte dicantur, sane in hoc orationis contextu idonea forent ad probandum, quod iis effici posse putant solertes eorum interpretes, dummodo de iis pro genuinis utique habendis ratio constaret. Sed quoniam compertum est, fabulam vel potius aenigmate obscuratam sententiam de summi Dei Intellectu ex Silentii gremio progresso, *Valentini*, post *Ignatium* qui vixit, auctoris nomen prae se ferendo sive commendatam sive diffamatam, apud veteres Christianos pervagatam esse [17]), haud temere, ni fallor, coniicias, spuria esse illa, eorumque audaciae ac sedulitati deberi, qui in Ignatii epistolis interpolandis operam, sibi forte haud inutilem et infructuosam, posuerunt [18]).

---

17) Etiamsi antiquiorum forte haereticorum quidam simile aliquid crepaverit.

18) Cf. *Schmidtii Versuch über die doppelte Recension des Ignatius, in Henke's Magaz. Bd. III. St. 1. p. 100, 101.* Ceterum in sequentibus, quae haud secus ac superiora ad Judaicas superstitiones confutandas spectant, cum memoratos videamus, qui Jesum mortuum esse negarent (v. §. 9), Judaismo

Nec vero *Hegesippi* etiam locus, si attentius eum consideraveris, tanto ad persuadendum momento esse videbitur, quam primo adspectu facile aliquis crediderit. Etenim antiquissimorum Hierosolymitani coetus antistitum mentione facta, postquam de ecclesia usque ad certum quoddam tempus virginis instar integra dixerat, necdum erroris labe infecta, haec edisserit ille: ἄρχεται δ' ὁ Θέβουθις, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν, ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὧν καὶ αὐτὸς, τῶν ἐν τῷ λαῷ [19]· ἀφ' ὧν Σίμων, ὅθεν οἱ Σιμωνιανοὶ, καὶ Κλεόβιος, ὅθεν Κλεοβιηνοὶ, καὶ Δοσίθεος,

---

deditos quosdam haec scribentem ante oculos habuisse Ignatium iudicamus, qui, propterea forte, quod Messiam probroso supplicio affectum cogitare haud sustinerent, utpote quem, vita defunctum, salvum potius et incolumem a Deo in sinum suum recipiendum fuisse, sibi persuaderent, eius adventus, malorum quae perpessus, necisque, cui subiectus erat, historiae fidem in dubium vocare auderent. Certe inferius, §. *11*, has res gestas contestatas legimus. — *Ignatio* testi *Irenaeum* adiungit *Basnagius l. c. p. 725*, quasi hic, *l. I*, *cp. 24*, *Basilidem* Judaeorum familiarem dixerit. Sed si locum ipsum inspicias, facile apparebit, verba, quae de haeretico interpretatur ille vir doctus, ad Judaeorum deum sive angelum tutelarem ab eo commentum esse referenda.

19) Hanc lectionem *Valesius* in *annot. p. 79* restituit pro vulgari ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων, ὧν καὶ αὐτὸς, ἦν ἐν τῷ λαῷ, cui vitium aliquod inesse quisquis videt. Aliam e Cod. Paris. descriptam attulit:

ϑεν Δοσιϑιανοὶ, καὶ Γορδαῖος, ὅϑεν Γορδηνοὶ, καὶ Μασβωϑαῖοι· ὅϑεν ἀπὸ τούτων Μενανδριανισταὶ καὶ Μαρκιωνισταὶ καὶ Καρποκρατιανοὶ καὶ Ὀυαλεντινιανοὶ καὶ Βασιλειδιανοὶ καὶ Σατορνιλιανοὶ κ. τ. λ. Septem sectas Judaicas quas innuerit, paulo inferius declarat, *Essenorum* nempe, *Galilaeorum*, *Hemerobaptistarum*, *Masbothaeorum*, *Samaritanorum*, *Sadducaeorum*, *Pharisaeorum*. Plures ob causas memorabilis est hic locus. Primo enim notandum, quod vetustissimum nobis offert haereticorum stemmatis integri cuinsdam exemplum, cum singulae omnes eorum familiae ordine, nescio quo, dispositae atque congregatae, in unam veluti stirpem colligantur. Deinde hoc etiam haud praetermittendum, quod, male feriatum istum, quem tota gens parentem suum communem autumet, cum episcopatum frustra appetiisset, ambitione commotum et ob repulsam dolore exacerbatum errores suos progenuisse, ibidem legitur: nam postea haud raro esse factum invenimus, ut famosi haeresium conditores simili ambitus crimine arcesserentur. Sed ut de eo potissimum, quod quaeritur, ceteris postpositis, quid statuendum sit, proferam, haud multum ad Gnosticorum opiniones explicandas contribuere

---

α. τ. ε. αἱρέσεων, ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, ἐν τῷ λαῷ, cuius idem atque illius foret sensus, dummodo grammaticae ratio talem verborum structuram ferret. *Rufini* interpretatione *Valesii* emendatio confirmatur.

videtur auctor, cum a septem sectis illis Judaicis eas profluxisse dicat, de quarum dogmatis si quid cognitum est, et secum ipsae invicem haud leviter dissenserunt, nec, per se spectatae, unica Essenorum secta excepta, eae fuerunt, quibus cum Gnosticis aliquid commune esset. Imo vero nescio, an omnis haec ratio varia generatim velut indiscreta tractandi a coniectura quadam, qualicunque, vulgaribus forte nixa rumoribus aliquibus, sit profecta. Quod attinet autem ad Samaritanos istos apostolorum aetate famosos, de quibus supra dixi a scriptoribus ecclesiasticis nempe totius haereticorum gregis in fronte collocari solitis, equidem definire nolim, qua schola edocti, non Judaica dogmata sua ii ediderint; fortasse in Samaria potius quam Judaea eiusmodi disciplinae alicui locus fuit; forte veri aliquid subest veteri rumori cuidam, qui ad nostram memoriam permanavit, *Simonem* nempe Alexandriae aliquamdiu versatum esse, et artibus, quas calleret, institutum [20]).

Sub finem huius disputationis in mentem nobis venire potest, ut quaeramus, sententiae et doctrinae genera singulari et notabili quodam charactere distincta, quae, inter se collata, aliquatenus similia reperimus, nec tamen ipsa externa quadam necessitudine inter se cohaerentia,

---

20) v. *Clement. Homil. II, cp. 22, p. 633.*

fuerintne forte uni eidemque disciplinaē fundamento superstructa, ita, ut eadem fere, quam Judaeis ad patria sacra accommodatam Cabbala sua offeret, peregrina sapientia paulo alio colore vestita apud Gnosticos appareret. Veterum Orientalium dogmata quorundam in sequenti capite quoad finem nostrum perlustraturi atque perscrutaturi sumus.

CAPUT VI.

COMPARATUR

DOCTRINA GNOSTICA

CUM

VETERUM ORIENTALIUM QUORUNDAM, PERSARUM INPRIMIS, DOGMATIBUS.

Graecae philosophiae serior et ultima aetas nonnulla ingenii documenta et specimina exhibet, quae satis clare ostendunt, huius scientiae cultores tunc laude insignes, ut qui ad antiquissimos quosque populorum ritus curiose respicerent, sacerdotumque mysteriis memoria celeberrimis, etsi in vicinia eorum iam passim propemodum derelictis, initiari intente cuperent, veterum Orientalium religiones et sacrorum disciplinas neque plane ignorasse, neque neglexisse vel exoletas sibi duxisse; sed quemadmodum singulari quodam cum studio — quo cum apparatu aut successu, diiudicare non meum est — in eas inquirerent, ita etiam, si qua ex iisdem

consecuti sunt et comprehenderunt, inprimis haec accepta iis fuisse. Imo ipsi philosophiae illi universae, quae Alexandrina vocari solet, inest, quod ad Orientalium ingenii indolem haud inepte referas.

Hoc animadverso, atque una cum Gnosticismi, aliquanto prius quam schola Alexandrina suborti, natura et indole considerata in rationem vocato, recentiores aliqui coniecerunt, singulare quoddam genus philosophandi aut mystice fingendi, quod, altius repetitum et remotiori a fonte deductum, *Orientale* appellarent, inter veterum Orientis populorum Graecorumque, vel eorum qui Graecorum more exculti, Graecis literis imbuti essent, doctrinas medium intercessisse, atque transitum, ut ita loquar, ab alteris ad alteras munivisse [1]). Quorum coniecturam multis ut persequar et copiose pertractem, cum supervacaneum mihi videatur, quia et plurimum de ea est disputatum, nec hodie, aliquanto aucta et amplificata rerum Orientalium scientia, iam plane eandem, quam olim, potest se praebere, omittam quaerere, quatenus recte quodammodo, nec sine omni historiae auctoritate ac praesidio affirmari

---

1) v. *Moshemii Institt. hist. Christ. maiores*, *p. 136 sqq. 339 sqq.* et *Dissertt. ad hist. eccl. pert. Vol. I. p. 223 sqq. Bruckeri Hist. crit. philos. Tom. II, p. 639*, ne eorum locos commemorem, qui hos secuti sunt.

potuerit, Christi et apostolorum aevo, et prius imo, per plurimas et notissimas Asiae atque Africae regiones certam quandam metaphysicorum disciplinam Orientalem pervagatam fuisse ac viguisse; neque adeo hac opinione, quam licet haud diffitear ad momenta rerum accuratius expendenda permagnae utilitatis fuisse, non nisi ab iis, quorum ratio in cognoscenda et aestimanda antiquitate iusto arctiores intra fines quosdam contenta et quasi constricta esset, tamquam nihil veri ea contineret, reiectam, in quaestione iam instituenda duci et gubernari me patiar, quoniam ea, cum de pluribus certiores nos reddere tendat, quam quae probe cognita habere concessum sit, ipsam si spectes, vaga tamen quodammodo neque satis ex omni parte videtur definita. Mihi enim nihil aliud est propositum, nisi ut, sequens, quae veterum testimoniis significata passim inveniam, explorare studeam, nonne fortasse in Orientalium dogmatis quorundam, quatenus generalior aliquis sententia, sensus profundior philosophicus aut mysticus hisce inest, eorum mentibus praesertim consentaneus qualis esse debuit, qui Graecae philosophiae quadam notione fuissent tincti, barbarorum hominum, sive Graecorum, qui, apud exteras gentes illas dum degebant, altiora spirantis ingenii afflatum aliquem percepissent, doctrinae Gnosticae summa contineatur; cum, qua ratione, quibusve doctrinarum generibus sive gradibus intermediis ex

illis haec exstiterit, accuratius describere haud posse mihi videar, quocirca in cognoscenda universa, quae fuerit disciplinam excolendi atque tradendi via, acquiescendum putem.

Pro ea, qua hucusque usi sumus, partitione atque argumentorum dispositione ab externis rei investigandae indiciis, quae veterum locis efficiuntur, recensendis et examinandis ordiunda est disputatio; deinde ad alteram huius partem progrediendum, qua exponentur et inter se conferentur ipsae, de quibus agitur, sententiae. Ex veterum Orientis populorum opinionibus cum earum praesertim, ut videbimus, sit ratio habenda, quae apud Persas receptae fuerunt, horum doctrinam sacram, sectarumque, quae apud eos viguerunt, variarum placita uberius pertractabimus; alia eiusmodi, haud plane praetermittenda, diversis locis, occasione data, strictim commemorabimus [2]).

In librorum fragmentis, quae exstant, ab ipsis haereticis conscriptorum, nonnulla leguntur, alia ab adversariis eorum eruditionis laude praestantioribus et inprimis fide dignis sunt relata, ex quibus, et universam barbarorum metaphysicen, si ita loqui placet, atque rerum

---

2) Viam hanc Gnosticismi interpreti ingrediendam muniverunt doctiss. *Zend-Avestae* sospitatores, *Foucherius*, v. *Hist. de l'acad. roy. des inscr. etc. Tom. XXIX, mem. de litt. p. 222 sqq.* et *Th. Chr. Tychsenius, v. Commentatt. societ. reg. Gotting. Vol. XII, p. 19.*

divinarum scientiam mirum in modum illos probasse eluceat, eamque — alio quodam sensu videlicet ab iis, quam ab orthodoxis nonnullis ecclesiae doctoribus ac propugnatoribus, qui cum talia laudarent, Judaicorum sacrorum auctoritatem defendendam praecipue curarent, Graecae philosophiae oppositam, — cum hac comparatam nullo praeconio indignam iudicasse, et singula quoque agnosci possint, quibus potissimum addictos se praestiterint, disciplinarum genera, qui, quamvis Christianos se profiterentur, externorum quorundam doctorum ac prophetarum Asiaticorum nomina, alia inaudita quidem, ut apud Graecos, alia vero etiam notissima et celeberrima, in vulgus edentes, horum auctoritatem prae se ferre, horum arcana, oracula et vaticinia ostentare ac venditare, horum dogmata verissima testari haud vererentur.

Clemens Alexandrinus Strom. l. VI, pag. 767 [3]), postquam *Valentini* aliquod dictum quo-

---

3) Memorabilis est *Clementis* locus haereticorum sententias e libris eorum transscriptas exhibens, in quo cum nonnulla per se ipsa, alia ob nexum cum antecedentibus inventu difficilem subobscura videantur, neque ab interpretibus sufficienter explicita, non possum, quin lucem et medelam ei afferendi negotium suscipiam. Notandum est, auctorem in eo versari, ut philosophicis argumentis et scripturae sacrae testimoniis probet ac declaret, salutem per Christum hominibus partam gentilium atque Judaeo-

dammodo ad propositum suum spectans commemoraverat, quo utrum Judaicos ille, an philo-

---

rum communem, nec ab iis quidem, qui antea iuste et honeste vixerint, gentilibus recipiendis alienam esse Dei gratiam, bonam indolem cuiuscunque et virtutis studia respicientis; — rigidioribus enim, quae serius invaluerunt, dogmatibus tempore illo nondum plane adsueverant Christianorum animi: — huius rei consideratio *Valentini*, eorum nempe, qui communitatem (*τὴν κοινότητα*, sc. salutis hominibus concessae) professi sint, coryphaei, placitum in memoriam ei revocat, suae sententiae aliqua ex parte respondens; post quod descriptum alia, quae ad philosophiam barbaram cum Graeca comparandam spectarent, eiusmodi doctrinarum praecepta eum recensere, solutiorem si obserues materiarum ordinem, quo ei *ἡ τῶν στρῳματέων ὑποτύπωσις λειμῶνος δίκην πεποίκιλται*, eo minus mirandum videbitur, quo facilius, et ipsi, de gentilibus in Christianismi bonorum societatem atque consortium admissis meditanti, quaestionem universam de institutione eorum in mentem redire potuisse, intelligas. — *Valentini* verba, ex *homilia* eius *περὶ φίλων* (sc. *τοῦ Θεοῦ*, ut suspicor) petita, haec sunt: *Πολλὰ τῶν γεγραμμένων ἐν ταῖς δημοσίοις βίβλοις εὑρίσκεται γεγραμμένα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ· τὰ γὰρ κενὰ ταῦτά ἐστι τὰ ἀπὸ καρδίας ῥήματα· νόμος ὁ γραπτὸς ἐν καρδίᾳ, οὗτός ἐστιν ὁ λαὸς ὁ τοῦ ἠγαπημένου, ὁ φιλούμενος καὶ φιλῶν αὐτόν.* — *δημόσιος* proprie significat, *quod ad populum*, seu *rempublicam* pertinet; sed cum *δῆμος*

sophorum (Graecorum) libros, Christianorum librorum ratione habita, vulgares appellasset,

---

non semper sit *populus*, sed nonnunquam etiam *plebs* seu *vulgus*, facile vides, quomodo vocabulo illi notio *τοῦ vulgaris* subiici potuerit. Clemens in proxime seqq. hoc dictum diiudicans, in suspenso relinquit, quos ille libros denotare voluerit; sed de Judaicis eum cogitasse, statim apparebit. Opponuntur, quae scripta in his libris, iis, quae scripta inveniantur apud ecclesiam Dei, i. e. in libris sacris N. T. (cf. *Tertullian. de praescription. haeret. cp. 38:* „Valentinus integro instrumento uti videtur"), atque cum *lege cordi inscripta* (v. *Paul. ad Rom. cp. 2 vs. 15* cf. *ep. ad Hebr. cp. 8 vs. 10*) comparata, *inania* dicuntur *verba τὰ ἀπὸ καρδίας*, i. e. *a cogitatione vaga profecta, quae in animo haud insideat*, singulari sane loquendi usu, sed ex antithesi sequentium interpretando. Particula *γὰρ* est *nempe, videlicet.* Quae deinde leguntur, *οὗτος — ἠγαπημένον*, manifesto corrupta sunt. *Grabius λόγος* pro *λαὸς* substituit, et *verbum dilecti* de Servatore ipso intellexit, quem et *νόμον* ab haereticis appellari solitum probare studuit. Nec vero sic etiam omnia satis perspicua et concinna videntur, nec recte intelligis, quomodo ultima sententia cum antecedentibus cohaereat. Leviori quadam mutatione textum restituere conemur. Pro *ὁ λαος ὁ τοῦ ἠγαπημένου ὁ φιλούμενος* leg. *ὁ λαου τοῦ ἠγ. ὁ φιλ.*, quod ut in illud converteretur, librarii quodam mendo, nisi forte, quod singula tantum verba respiciens aliquis in *ὁ λαοῦ* offenderet, facile accidere potuisse, in promtu est. Aliquid praesidii

definire nollet, *Isidori*, Basilidis Alexandrini filii et discipuli, de Graecorum scientia extrinsecus hausta commentata haec subiicit [4]): „Attici

---

huic coniecturae nostrae afferre posse videtur comparatio verborum apostoli καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου, καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην, v. *Rom. 9 v. 25*, quae in mente fuisse dixeris Valentino, duplicem tantummodo eiusdem rei descriptionem in unam contrahenti, τὸν λαὸν et τὴν ἠγαπημένην in λαὸν ἠγαπημένον transferenti. Ὁ φιλούμενος (sc. πρὸς αὐτοῦ, τοῦ Θεοῦ), καὶ φιλῶν αὐτὸν, *das gottgeliebte und Gott liebende Gesetz*, a mystico eiusmodi scriptorum orationis genere haud abhorret. — Totius denique loci sic emendati et explicati hic erit sensus: *Multa ex iis, quae in vulgaribus libris leguntur, apud ecclesiam Dei etiam literis consignata inveniuntur; inania nempe cogitata his expressa sunt, quae in mentem penetrare atque in ea insidere nequeunt. Lex autem, quae in animo inscripta, — eorum est, qui vere vocantur populus a Deo dilectus, ut quae Deo accepta sit, et amorem Dei excitare valeat.* Improbatur lex Hebraeorum, populum a Deo dilectum sese dicentium, quippe quae externae solummodo virtutis cuiusdam praecepta contineat; nec non eadem reprehensione castigantur, quae in N. T. Judaeorum opinionibus sint consentanea. Eorum contra, qui vere electi sint, vera virtus et pietas laudibus celebratur. Quae omnia Gnosticis solita.

4) Excerpta scilicet ex eius *libris exegeticis in prophetam Parchor*. Hoc nomen sine dubio idem, quod

„dicunt, Socrati nonnulla significata fuisse, dae-
„mone quodam eum comitante; dicit etiam
„Aristoteles, omnes homines uti daemonibus qui
„eos sequantur eo tempore, quo in corpus mi-
„grent [5]); quam doctrinam a prophetis accep-

---

apud *Eusebium: Barchob*, cum apud Graecos peregrinorum vocabulorum sono non adsuetos facile accidere potuisse appareat, ut singulae literae in talibus pronuntiandis confunderentur. *Eusebius* enim *H. E. l. IV, cp. 7*, auctore *Agrippa Castore*, celebri *Basilidis* adversario, refert, *Barchabae* et *Barchobi* tanquam prophetarum nomina hunc effutivisse; quae vero commenticia dicenti Agrippae haud scio an diffidendum sit, praesertim cum barbara illa et horribilia, eoque fine conficta eidem sint visa, ut stupore quodam imperitorum animos percuterent. Syriaca ea sunt, ni fallor; si recte perhibitum est, in Syria aliquamdiu versatum fuisse Basilidem, — quod *Epiphanius* fortasse noverat, cum condiscipulum eum et sodalem *Saturnino* adiungeret, *v. haer. 23* §. *1*, *et 24* §. *1*, — inde prophetarum illorum venerationem, eorumque doctrinam literis mandatam eum attulisse, dicas.

5) Utrum revera eiusmodi aliquid unquam proposuerit Stagirita, an a posteris demum haec opinio ei sit tributa, nescire me fateor, licet hoc magis probabile mihi videatur. Ceteroqui constat, eum, qui animos quosdam coelestes stellarum sphaerarumque praesides esse docuit, daemonum etiam interdum, vel in metaphysicis libris, mentionem fecisse; locos collectos v. ap. *Cudworthum* in *System. intellectual. ed. Moshem. T. I, cp. 4* §. *24*, *p. 630 sqq.*

„tam [6]) cum in suos retulerit libros, haud tamen „confitetur, unde eam petierit.“ Dubium videri potest, quae fabulae de daemonibus et geniis Graecorum philosophorum placitis vetustiores animo scriptoris obversatae sint; qua de re statim quaerendo argumentorum seriem interrumpere atque finem anticipare nolim. Obiter tamen hoc loco nos animadvertere iuvat, quod, variorum populorum mythologiae si qua insunt, quae huc referre attineat, Persarum de geniis hominum comitibus opinioni [7]) apprime convenit haec eorum descriptio [8]).

---

6) προφητικὸν τοῦτο μάθημα λαβὼν.

7) Geniorum nomine eos, velim, intelligas Persarum imperii coelestis, ut ita loquar, ministros, qui, *Feruerí* appellati, post *Amschaspandos* et *Izedes* tertium locum obtinent. Quorum mentio saepenumenumero habetur in *Zend-Avestae* libris. Auctores omnium bonorum atque prosperitatis vocantur in *lege Zoroastris* (*Vendidad*), *Farg. 19*, in precibusque solennibus iis dicatis in libro liturgico *Jeschts Sadés*, XCIII, geniorum munera et virtutes, rerum humanarum ordinem constantem efficientium, et tutelam praesidiumque gerentium, satis copiose celebrantur. Animos, antequam fuissent, quibus praeponerentur, a Deo procreatos eos agnoscis, singulis deinde omnibus, quae apparerent, praesertim animantibus mente praeditis, sed et rebus ex nostro sensu atque opinione penitus corporeis et se ipsas movendi facultate carentibus praefectos, utpote quibus insit vis ea, qua sustenta consistant quaeque, qua percita agere

Repetita atque fortius imo expressa et universe proposita est iniqua *Isidori* de iisdem illis sententia alio quodam effato eius, quod deinde sequitur: „Nec existimet aliquis, quod dicimus „esse proprium electorum, hoc fuisse praedictum „ab aliquibus philosophis. Non est enim hoc „eorum inventum; sed cum a prophetis mutuati „essent, iis apposuerunt illud, quae secundum „ipsorum ingenium sapienter sint excogitata [9]).

---

valeant aut moveantur, qua vegetata vigeant, crescant floreantque (quae notio sive imago iuvenilis priscorum hominum ingenii nativam simplicitatem refert). Proinde gignendi quaedam facultas cognomento peculiari et proprio iisdem tribuitur *Izeschn. H. 1*, et in libro de mundi fabricatione serius conscripto corporibus humanis vitam eos praebere dicitur, v. *Bundehesch*, *Sect. 2.*

8) Ne Isidorum, si vera est coniectura mea, solum fuisse ducas, qui talia inter se conferret, ipsum audias doctiss. Zend-Av. interpretem: „Sie (die „Genien) sind der Seele Schutz. — Daher mufs der „Parse für seinen Feruer besonders beten, dafs „Ormuzd ihn bewahren wolle; denn ohne ihn wird „Seele und Leib unrein, irre geleitet. — Siehe da, „Socrates Schutzgeist.“ v. *Kleukeri Z. A. Bd. I, p. 14.* Omnino vero Persarum doctrinam inter fontes praecipuos et primarios, e quibus profluxissent veterum populorum de daemonibus opiniones, esse referendam, pro ea, qua utitur in hisce divinandi indole, vidit Ill. *Creuzerus*, cf. *Symbolik u. Mythol. Bd. III, p. 66 sqq.*

9) τῶν δὲ προφητῶν σφετερισάμενοι, προσέθηκαν

Tertio denique fragmento a Clemente servato barbaros quosdam prophetas tanta laude sua insigniri, disertius ille his verbis declarat; „Mihi enim videtur, iis, qui philosophari af„fectant, (ante omnia) discendum esse, quid sit „quercus alata, et, quod eam circumdat pictum „pallium [10]); ea omnino, quaecunque Pherecydes „allegorice scripsit de rebus divinis; qui e Chami „prophetia haec petierat.“ Haec ut recte capiamus, de *Pherecyde Syrio* (in insula Syro nato) eiusque doctrina, quem primum inter Graecos de rerum natura et de diis scripsisse perhibetur [11]),

---

τῷ ὑπάρχοντι κατ' αὐτοὺς σοφῷ. In edd. legitur τῷ μὴ ὑπάρχοντι κ. α. σ., qua lectione servata cum nihil aliud significari posset, nisi: *inscitis suis inventis illud apposuerunt*, vel *inscientiae suae*, i. e. ingenio veri inscio, *vindicaverunt*, valde contorta foret ea dictio et verborum structura, neque singulorum omnium sensus cum linguae ratione satis congruus. Quapropter equidem cum interprete Hervaeo particulam μὴ quin tollerem, eo minus haesitavi, quo magis intelligere viderer, quomodo ea in contextum irrepere potuisset. τὸ σοφὸν obiectivo sensu sumtum, haud est quod explicem. Interpretis Latini, qui pro masculino habuit τῷ σοφῷ, sententia minus apta.

10) ἡ ὑπόπτερος δρῦς καὶ τὸ ἐπ' αὐτῇ πεποικιλμένον φάρος.

11) v. *Diogenem Laert. de vitis, dogm. et apophthegm. philos. l. I, segm. 116.*

nonnulla notanda sunt. Theologiam quandam seu Theogoniam ille composuit [12]), qua vero omnia aenigmatis occulta et quasi involuta tradere mallet, quam aperta et enucleata [13]). Placita eius maxime insignia duce *Maximo Tyrio* persequamur, qui *Dissert. XIXX, ed. Heins. p.* 171 breviter complectens ea sic commemorat: ἀλλὰ καὶ τοῦ Συρίου τὴν ποίησιν σκόπει, καὶ τὸν Ζῆνα, καὶ τὴν Χθονίην, καὶ τὸν ἐν τούτοις ἔρωτα, καὶ τὴν Ὀφιονέως γένεσιν, καὶ τὴν θεῶν μάχην, καὶ τὸ δένδρον, καὶ τὸν πέπλον. Quae iam singula explicemus. *Jupiter et Chthonia;* Pherecydis de rerum principio disputantis ipsius verbis expressa sententia haec est [14]): Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἰς ἀεὶ, καὶ χθὼν ἦν· χθονίη δὲ ὄνομα ἐγένετο γῆ, ἐπειδὴ αὐτῇ Ζεὺς γέρας διδοῖ. (Ζεὺς ab eodem Ζὰς alias vocatus; Jovis fabulae aut nomini apud eiusmodi theologos aetheris significatum subfuisse constat. εἰς ἀεὶ, quod cum εἰσαεὶ mutare nolim, ad χρόνον referas; tempus idem semper fuisse, dici poterat,

---

12) *Clement. Al. Strom. l. V, cp. 8, p. 676. Photii Bibl. Cod. 279, p. 1587.* Forte diversi fuerunt duo libri, qui ita inscripti, v. *Suidam* s. v. *Pherecyd.* a *Kustero* emendatum.

13) v. ipsius *epist. ad Thaletem* ap. *Diogen. Laert. l. c. segm. 122*, et *Clement.* l. c. propterea Heraclito τῷ σκοτεινῷ eum comparantem.

14) v. *Laertium l. c. segm. 119*, qui libri eius hoc exordium fuisse refert.

cum indiscreta adhuc omnia, neque ulla rerum varietas esset conspicua; cui sententiae exprimendae minus quam vulgata lectio convenit Κρόνος, quod nonnulli praeferunt, utriusque sensu ceterum haud admodum diverso, χθὼν, χθονίη, a χόω, χύω deriv., moles terrena, Chaos, materia rerum, quae tellus demum sit vocata, postquam a Jove esset condita et ornata). — *Jovis et Chthoniae amor mutuus*, ni fallor, vim quandam indicat naturae elementa iungentem, et, quae in iis sibi contraria sint, inter se conciliantem; haud alia fuisse videtur prima Amoris fabulae significatio, qui inter deos natu maximos refertur ab Hesiodo aliisque poetis quibusdam et scriptoribus vetustioribus. — De *Ophioneo*, quem cum Saturno pugnantem introduxit Pherecydes, in eandem sententiam accipiens, quae de Titanibus ficta essent, et id genus alia, v. *Celsum* ap. *Origenem l. VI, cp.* 42, *p.* 663, 664. Disputandi de illo materiam a Phoenicibus eum sumsisse vult *Philo Byblius*, v. *Euseb. Praeparat. evang. l. II, ed. Viger. p.* 41; quorum disciplinae nonnihil eum debuisse, praeterea quoque traditur [15]) secundum rumorem quendam, utcunque ortum, certe haud prorsus ineptum; namque principium universi posuit ille *Sanchuniathon* „aerem tenebrosum, ac „spiritu foetum chaosque turbidum altaque ca„ligine circumfusum," quorum ab amore, mutuo

15) v. *Suidam l. c.*

alterius desiderio, et coniunctione aut mixtione orsa sit omnium rerum creatio (*Euseb. l. c. p.* 33); et deus is, quem Κρόνον Graeci interpretarentur, (Ἴλος, אֵל v. *l. c. p.* 36) ab ipso summo loco habitus. — *Arbor et peplum.* Longum foret virorum doctorum de hoc aenigmate coniectata recensere; quare sufficiat, ut indicem, quid pro vero habendum videatur. Sententiam suam de mundo eiusque principio talia fingens obscurare quin voluerit philosophus, dubitare nos vetat hoc eius dictum, quo pallii picturati symbolum explicetur [16]: Ζὰς ποιεῖ φάρος μέγα τε καὶ καλὸν· καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν καὶ Ὠγῆνον καὶ τὰ Ὠγήνου δώματα (ὠγῆνος, i. q. ὠκεανὸς, antiqua vox de cuius etymo quaestio a viris doctis proposita haud exigui momenti est). Proinde quercus, cui praetentum sit comtum hoc velamen, rerum omnium fundamenta firmissima atque stabilissima, sive pristinam earum formam aeternitatis memoria augustam alio vel alio modo significare videtur [17]. Alarum imago ad temporis ideam repraesentan-

---

16) v. *Clement. Al. Strom. l. VI, cp. 2, p. 741.*

17) Haud silentio praetermittenda tamen eorum opinio, qui quercum divinitatis symbolum esse iudicant, id praesertim in rationem vocantes, quod veteres populi nonnulli, lucos ac nemora consecrare soliti, aliquid sancti inesse illi arbori putarunt; cui addas, si placet, quod eadem vetustis quibusdam Graecorum ceremoniis Jovi dicata erat.

dam spectat; quae Graecis in Κρόνῳ suo ornando haud prorsus inusitata fuit, Phoenicibus autem, si vera affert, quod apud Eusebium exstat eorum doctrinae fragmentum, vel maxime solennis [18]). — His perpensis cum ad propositum revertamur, iam in promtu est, Isidorum Pherecydis sapientiam, ut apud Phonices haustam, his vindicare voluisse; qualem vero Chami prophetiam ille laudaverit, qui forte librum quendam apocryphum nosset hoc nomine apud Asiae gentes vulgatum, definiri nequit [19]).

Sed *Basilides*, huius pater, ut diximus, et disciplinae auctor, quorum potissimum barbarorum opiniones ratae sibi et acceptae essent, distinctius edidit. In *Actis* enim *disputationis Archelai et Manetis*, *p.* 101, 102, e libro quodam eius excerpta haec verba exstant [20]): „Desine ab „inani et curiosa varietate; requiramus autem

---

18) *Euseb. l. c. p. 39.* Geminas alas in singulis humeris affinxerunt Κρόνῳ, quo symbolo significatum volebant, eundem volare quiescentem, et volantem quiescere.

19) *Suidas l. c.* simpliciter libros arcanos Phoenicum commemorat, ut quibus Pherecydes usus esse diceretur.

20) Ipsum in Persia quondam fuisse, ex eodem loco discimus, v. quae paulo superius sunt scripta; non enim cum quibusdam interpretibus sine causa idonea et sufficiente duos eiusdem nominis haeresiarchas fuisse statuam.

„magis, quae de bonis et malis etiam barbari in-
„quisierunt, et in quas opiniones de his omnibus
„pervenerunt. Quidam enim horum dixerunt,
„initia omnium duo esse, quibus bona et mala
„associaverunt, ipsa dicentes initia sine initio esse
„et ingenita, i. e., in principiis *lucem* fuisse ac
„*tenebras*, quae ex semetipsis erant, non quae
„esse dicebantur. Haec cum apud semetipsa
„essent, propriam unumquodque eorum vitam
„agebat, quam vellet et qualis sibi competeret;
„omnibus enim amicum est, quod est proprium,
„et nihil sibi ipsum malum videtur. Postquam
„autem ad alterutrúm agnitionem uterque per-
„venit, et tenebrae contemplatae sunt lucem,
„tanquam melioris rei sumta concupiscentia, in-
„sectabantur ea commisceri.“ In memorabili hoc fragmento Persarum sententia de duobus rerum principiis natura sua et vi insita maxime sibi contrariis, de tenebris a luce primum longo intervallo semotis, deinde appetitu eius exarsis, quod certaminis inter utrumque orti initium illi finxerunt, tam diserte expressa tamque clare pronuntiata est, ut totam hanc disputationem, nisi nosses, a quo auctore ea profecta esset, Magorum alicuius ingenio, quales seriore historiae Persicae aevo in medium prodierunt, facile tribueres.

Ne vero eius, qui inter Magos propter doctrinae cultum et sacrorum instituta ei debita posteris celebratissimus esset, prophetae nomen et

auctoritatem apud haereticos illos semi-Christianos nullam fuisse dicas, nec forte existimes, Basilidis scholae fere propriam ac peculiarem fuisse disciplinam, quam hic cum in Persia versaretur, animo imbibisset, conferendus est *Porphyrii* locus in *vita Plotini cp.* 16, *p.* 118: „Erant Christiani „eo tempore [21]) multi, tum alii, tum ex antiqua „philosophia egressi haeretici, Adelphii et Acy„lini sectatores; qui Alexandri Libyci, Philocomi, „Demostrati, Lydi plurimos libros circumfere„bant, et revelationes quasdam Zoroastris, Zo„striani, Nicothei, Allogenis, Mesi aliorumque „eiusmodi palam ostendentes [22]), et deceperunt „multos, et ipsi decepti iam fuerant, asserentes Pla„tonem intelligibilis essentiae profundum minime „penetrasse." Subiicit auctor, *Plotinum* praesentem multum contra eos disputavisse, et librum composuisse, cui titulum: πρὸς τοὺς Γνωστικοὺς ipse praescripserit, ceteraque discutienda et diiudicanda discipulis eum reliquisse; *Amelium* quadraginta libros scripsisse contra librum *Zostriani*;

---

21) In Plotini librorum catalogo a Porphyrio servato liber contra Gnosticos in eorum numerum refertur, qui a decimo inde Gallieni imperatoris anno intra sexennium scripti sint.

22) — ἀποκαλύψεις τε προφέροντες Ζωροάστρου, καὶ Ζωστριανοῦ, καὶ Νικοθέου, καὶ Ἀλλογενοῦς, καὶ Μέσου, καὶ ἄλλων τοιούτων, πολλοὺς ἐξηπάτων κ. τ. λ.

se vero, *Porphyrium*, copiose ostendisse, librum *Zoroastri* ab illis inscriptum spurium et recentem esse, ab iisque, qui haeresin istam struxissent, confictum, ut antiqua viri auctoritate muniti, placita sua commendatiora redderent. — Nomina Adelphii et Acylini, quos sectae principes vocat Porphyrius, praeterea incognita. Ex omnibus iis, quorum libros in lucem proferebant haeretici, praeter Zoroastrem unus *Zostrianus* ab adversariis eorum aliquo momento aestimatus esse videtur; quem Magorum Graecis et Romanis apprime notorum numero adscribendum, ex *Arnobii* quodam dicto, quod exstat in *libr. I* eius *disputt. adv. gentes*, *ed. princip. Rom. fol.* 11, colligeremus, nisi lectio ambigua esset h. l. [23]. Sed haec missa faciamus, ut quae ad liquidum perduci nequeant, idque unum notemus, quod Zoroastri apprime deditos se praestiterunt illi, atque ad hunc auctorem dogmata sua referre, undecunque librum apocryphum istum eius nomine insignitum duxerint, maximopere certe curaverunt.

---

23) Pro *Zostriani* nomine, quod in prima Rom. et in codice ms. legitur (v. *var. lectt.* ap. *Orellium*, novissimum editorem, *P. II*, *p. 482*), plurimi libri *Hosthanis* dant nomen, ut apud veteres memoratissimum; cui lectioni e locis Tertulliani et Apuleii huic similibus consideratis aliquid praesidii accedere videtur; cf. *Elmenhorst. Observatt. ad Arnob. p. 31.*

Pariter sectatores *Prodici* (qui ex schola Carpocratis Alexandrini provenerat) gloriatos esse, arcanos Zoroastris libros se possidere, teste *Clemente Alex.*, constat [24]).

His animadversis cum iam ad eum externae verisimilitudinis gradum adduxisse videamur coniecturam nostram, a quo quemlibet proficisci debere, persuasum habemus, qui populorum religiones atque sapientum de rebus divinis cogitata nonnullo cum fructu inter se comparando, humani ingenii vias et vicissitudines explorare instituat, iam progressu haud inconstanti vetustos dualismi et emanationis doctrinae fontes adituros nos esse speramus. Ad Persarum dogmata ergo, in *Zend-Avestae* libris tradita [25]), quatenus quaerere de iis attinet, explicanda iam accedamus, posteriorum Magorum commenta et disputationes, et quae eiusmodi praeterea in rationem vocanda sunt, deinde investigaturi [26]).

---

24) v. *Stromat. l. I, cp. 15, p. 357*, βίβλους ἀποκρύφους τάνδρὸς τοῦδε (Ζωροαστρ.) οἱ τὴν Προδίκου μετίοντες αἵρεσιν αὐχοῦσι κεκτῆσθαι.

25) Quae ad historiam horum monumentorum doctrinae veterum Persarum illustrandam faciunt, cum ipsorum in libris, quorum laudatissimis studiis atque conatibus oblivioni erepta sunt illa, exposita, tum ab Ill. *Tychsenio*, in *Commentatt. Soc. Gotting. Vol. XI, p. 114 sqq.*, ea, qua pollet, arte critica, retractata legas.

26) Disputationem de Persarum dogmatibus ne, con-

Ex opinione veterum Persarum principia omnium rerum duo erant, duo universi huius auctores, a quibus, veluti fontibus suis, singulorum quorumque semina causaeque ac vires vitales sint profectae; qui regnorum sibi creandorum gubernatores futuri potentissimi, simul atque ex aeternitatis indefinitae et interminatae gremio prodirent, ac vim sibi insitam actu quodam et effectu promerent, naturae indole, mente et voluntate, externoque habitu quovis modo contrarios sese ostendebant. Alter enim eorum *Rex magnus* (*Oromazes*, *Ehorehe-Mezdao*), supremas regiones qui habitat, purissimoque in lucis elemento viget, optimus, benignissimus et beatissimus, cuiuslibet boni, sive possidendi, seu efficiendi, fastigium obtinet; alter vero, *malignus Daemon* (*Ahrimanius*, *Engrehe-Meenioesch*, i. e. *vitiis immersus et implicitus*), qui tenebrarum elemento turbido inhaeret, dum draconis instar longe porrectis membris per in-

---

silii nostri et propositi ratione ducta, hoc loco paucis absolvendam iudices, ipsa te prohibent illa, attentius considerata, quae duobus verbis consummare velle, vix sustineas. Nec ergo quaestiones criticas prorsus evitare, aut controversias fugere debere videor, ut materiae amplitudini tractatio aliqua ex parte respondeat; quo nomine opella mea iis forsitan se commendaverit, qui curam in comparandis variorum opinionibus positam otiosam et supervacuam existiment.

fera extenditur, impurus, mendax et invidiosus, omnium, quae quavis ratione sint mala, continet causas, atque radices altissime in se infixas complectitur (*Peetiare*) [27]).

---

27) *Ahrimanius* statim, ubi agere incipiebat, haud alium nisi malum se praestitit, vid. v. c. naturae eius descriptionem, quae exstat *Vendid. Farg. 18*, *Kleukeri Z. A. T. II*, *p. 370*, et ipsius dictum, quo in principio mundi coelestis edito malum se professus sit *Izeschn. H. 44*, *T. I*, *p. 133*; cf. *Bundeh. sect. 1*, *T. III*, *p. 56*, quo loco aperte traditum, ab omni inde tempore malum eum fuisse. Nec tamen sic de eo existimatum esse videtur, tanquam ille quoad vim quoque sibi insitam, aut agendi facultatem, qua polleret, indole bona quavis prorsus careret, aut semper caruisset. Nam nisi omnino consentaneum erat, certe antiqui populi ingenio vivido conveniebat, ut et ipsùm, quod per se malum, a spontaneo animi motu et voluntario consilio efficientis cuiusdam repeteretur potius, quam naturali quodam habitu et affectu eius, in quo conspicuum esset, animo velut inhaerens cogitaretur. Hinc explices, quod *Izeschn. H. 43* de Ahrimanio scriptum, principio haud ignarum boni eundem illum fuisse (sin omnino vera ea h. l. interpretatio, nam ambiguus est eius sensus); et quae praeterea singulis locis ei tributa, ostendunt, haud omnimodo ab eo abiudicata fuisse bona, quibus excellere putaretur, quod ab aeternitate profectum et potentia maximum; quibus omnibus respondet, quod in fine huius mundi futuro mutandus esse dictus ille, atque in melius convertendus.

Oromazes, suo numine digna creaturus, magnifice elocutus est verbum [28]), i. e. pronuntiavit voluntatem suam, qua omnia ciuntur et sustinentur; huius verbi sono audito percussus, Ahrimanius omnino male agere sententiam sibi stare declaravit. In destruendis aut corrumpendis quae ille egregia fecisset, totum animum atque omnem ponere diligentiam suam inde coepit.

Ipsa rerum creatio in certamine atque pugna boni Dei et mali Daemonis cernitur. Uterque enim ministrorum grege et agmine sui similium,

---

28) Effectu huius verbi (*Honover*), quod per metaphoram audacius conceptam, quasi a Deo discretum et sua quadam agendi facultate praeditum sit, omnibus rebus creatis antiquius vocatur, bona et pura quaeque dicuntur esse producta, ipsumque denuo semper ab Oromaze pronuntiatum mundo esse salutare v. *Izeschn. H. 19*, (de Ahrimanio perturbato, cum illud audiret, cf. cum l. c. *Bundeh. sect. 1, p. 59*, ubi sanctissima precum formula utitur Oromazes: „haec est Orom. voluntas etc.“). Omnino est symbolum cogitationis et efficientiae Dei; huc spectant magnifica illa epitheta et praeconia, quibus Z. A. T. II, p. 183, 187 sqq. 292 et aliis locis vis eius et praestantia celebratur, in quo meditando recolendoque Deus perpetuo occupatus sit etc. (ipsius animam tamen illud appellatum esse *Vendid. F. 19, p. 377*, quod viri docti affirmant, vix verum putem, cum alia quaedam, eaque facilior, h. l. explicatio in promtu sit).

angelorum ille et geniorum choro, hic malorum daemonum caterva, circumdatur, stipatur, munitur. Sex angelorum sive daemonum bonorum principes (*Amschaspands*, s. *Immortales* κατ ἐξοχὴν vocati), quibus ipse Oromazes septimus quodammodo annumeretur, virtute et praestantia proximi hunc subsequuntur [29]). Totidemque singulis his opponuntur Ahrimanii comites et studiorum socii malevolentia et nocendi facultate insignes. Oromazes, opibus suis nixus, coelum et astra, et inferiorem hunc mundum condidit, qui initio integer et purus nitidusque, Ahrimanii donis prorsus vacaret, usquedum huic cum sodalibus suis in eum irrumpendi et penetrandi copia fieret.

---

29) Oromazes inter Amschaspandos nonnunquam refertur, quorum nomine maius ullum vix novisse videntur libri Zendici, adeoque numerum septenarium implet, symbolicum sine dubio et sanctum (cf. precum formulam, licet recentius compositam, *Z. A. T. II. p. 115, 116*, in qua tum sex illi, tum, ipso una cum iis comprehenso, septem numerentur); sed talibus attributis nihilominus a reliquis eodem insignitis, utpote quos ipse produxerit (*Iz. H. 25*), qui hominum preces et vota ei offere soleant, constanter distinguitur, ut certe haud facile Persarum veterum alicui in mentem venire potuerit, pro primore solummodo inter aequales idcirco eum esse habendum. Ceterum de opinione Magorum serius orta, tamquam sit ipse superioris cuiusdam Dei ab omni actu remoti vicarius atque interpres, infra videbimus.

Namque pura elementa, plantae salubres, animalia cicuria et utilia, arva frugifera illi accepta sunt referenda, singula singulorum praesidum curae et tutelae ab ipso demandata [30]). Hic ele-

---

30) De singulorum muneribus, partibusque, in conservandis rebus creatis quas obtinuerint, disputare longum foret; v. *Anquetil* in *Kleukeri Anhang z. Z. A T. I, P. I, p. 239.* Quod attinet vero ad animi indolem et virtutes praecipuas unicuique eorum attributas, notandum est, satis apte, quae apud *Plutarchum, de Isid. et Osir p. 515 ed. Wyttenbach.* de iis leguntur, ad significationes nominum eorum Zendicorum ab Anquetilio *l. c. p. 145* exhibitas, sicut etiam ad ea convenire, quae in prece eorum solenni *Z. A. T. II, LXXXI* et exordio libri *Si-Ruze* de iis praedicata sunt; magisque imo, quam haec, scriptoris Graeci illius rationi consentanea esse, quae dono ab iisdem petita bona et utilia in prece nuptiali, quae exstat *Z. A. T. II, XXXI, p. 159*, hanc ob causam haud prorsus negligenda, quamvis recentius conscripta. Eorum, quos ante alios Orom. produxisset, primum εὐνοίας, alterum ἀληθείας, tertium εὐνομίας deum memorat Plutarchus (εὔνοια, benevolentia, animus bene erga alios affectus. — ἀλήθεια, veritas, candor, sinceritas; *Phavorin.* ἀπόφασις λέγουσα τὸ ὑπάρχον ὡς ὑπάρχον, καὶ τὸ μὴ ὑπάρχον ὡς μὴ ὑπάρχον. — εὐνομία, aequitas, iustitia, quo significatu τῇ ὕβρει nonnunquam opponitur apud Plutarchum). Haec deorum seu angelorum trias, ni fallor, usitatissimo in libris Zendicis praecepto illi haud male respon-

mentorum vim animantibus noxiam et perniciosam, hiemem, feras, venenata insecta sua arte et ministrorum suorum auxilio in lucem proferre valuit.

---

det, quo probe animati atque affecti esse, recto sermone uti et iuste agere iubentur legis cultores (quod a me ex tempore confictum ne dicas, cf. prec. nuptial. formulam modo laudatam). In quarto deo, quem σοφίας ornamento affecit auctor, si σωφροσύνην potius laudasset, paulo distinctius virtutem eam denotasset, qua ille insignis secundum libros Zendicos; quam vero ad verbum exprimere vix potuisset, ipsius sententiae novitate magis et insolentia, quam orationis Graecae defectu quodam aut vocabulorum inopia prohibitus (ταπεινοφροσύνη enim ut bonum quoddam significans Plutarcho etiam incognita fuit, quemadmodum *humilitas* Lactantio, non Ciceroni, inter virtutes referebatur). Duorum ultimorum alterum dixit πλούτου, alterum τῶν ἐπὶ τοῖς καλοῖς ἡδέων δημιουργὸν (voluptatis sive gratorum, quae honesta studia consequuntur, auctorem): quae horum descriptio, dummodo ordinem eorum invertas (cf. *Tychsen. l. c. p. 194, annot.*) cum iis congruere videtur, quae Persarum monumentis sunt tradita (*Khordad*, qui secundum haecce quintum inter angelos locum obtinet, cum et bonae mentis, et deliciarum bonorumque honestis debitorum auctor praedicetur, v. *Z. A. T. II, p. 193*, δημιουργῶ τ. ε. τ. κ. η. respondet; divitiarum vero attributum alteri, *Amerdad* vocato, ut frugum et gregum praesidi liberalissimo, optime convenit).

Homines primi, qui moribus incorrupti et immortales essent [31]), maligni daemonis praestigiis a vitae integritate ad impietatem detorquebantur; unde multifariae et immensae calamitates ac miseriae generi humano ingruerunt; atque peccandi libidine semel accensa, magno incremento deinceps aucta sunt vitia; Dei maiestatem contemplatus, eiusque odio exarsus ille myriadas pravarum cupiditatum contra eum armavit [32]).

Pariter quaecunque seu propter auctoris consilium, seu propter eventum suum et effectum mala existimanda procedente tempore facta sint et quotidie fiant, secundum Persarum doctrinam ad principium illud commune revocata animadvertas. Haud incommode diceres, mali physici naturam ita esse descriptam, ut ex malo morali metientibus posterum quodammodo et consequens esse visum illud, putandum sit [33]), nisi haec ratio, utpote iis praesertim accepta et usitata, qui malum a Deo omnipotente perinde ac provido iustissimas ob causas haud cohibitum, universe ad finem optimum dirigi statuunt, facile aliquem inducere posset, ut divinitatis notionem a dua-

---

31) *Izeschn. H. 32*, cf. *Bundeh. sect. 15, p. 84, 85.*

32) *Vendid. F. 22.*

33) Memorabilia certe propter nativum quendam veri sensum iis expressum, quae de malorum naturalium causis et incitamentis dicuntur *Izeschn. H. 29* et *Vendid. F. 18, p. 373.*

lismo alienam cum ipso confunderet, neque omnino subtiliorem ea se praeberet, cum in eo versetur, ut ex nostra fere in eiusmodi quaestionibus tranctandis consuetudine partita atque divisa reddantur, quae minus explicate distinguenda sunt, dum priscorum hominum ex mente interpretanda, sentiendi nimirum facultate quadam potius, quam ratiocinandi arte ad comprehensionem talium rerum evecta. Proinde, quae in illam partem accipi posse videntur, et id genus alia, malim una cum generaliori hac sententia complecti, quod mala quaevis e prava voluntate et sinistro proposito Daemonis Dei adversarii, tamquam ultima causa sua, suborta, quemadmodum et bona omnia sint invicem sibi consentanea atque cognata, incitamentis communibus aut mutuo effectu inter se iuncta, alia ex aliis pendeant et necessitudinis vinculo quodam apta quasi colligataque sint. Cuius rei, accommodate ad antiqui populi sensum perceptae, imago vividis coloribus expressa nobis offertur. Utriusque enim causarum et eventuum generis depicti ordo constans et aequabilis esse videtur, quo singula cum singulis cohaereant, viresque, quibus efficiantur omnia atque moveantur, amice in unum conspirent et sibi sucurrant. Angeli illi et genii, qui lucis imperium constituere dicuntur, cum quisque eorum muneri suo vacet, communem tamen omnes rerum omnium curam quandam prae se ferunt; eadem volunt ac defendunt; iisdem ad-

versariis opponuntur; iunctis armis decertant; singulorum virtute, ac rebus bene gestis omnium opes crescunt atque robora augentur; hominumque bonos conatus cum prospero successu laeta dona illorum consequuntur; nec vero a quopiam, nisi iniuria atque incommodo eorum, pravi aliquid committitur. Simili ratione ex contraria parte consociatis malorum daemonum studiis et auxilio mutuo in communi incepto peragendo pro cuiusque facultate a singulis sibi praestito hic effectus tribuitur, ut tenebrarum regnum amplificetur atque corroboretur; et ex malefactis hominum isti quasi utero concipere damnoque animantibus inferendo gravidi fieri dicuntur [34]).

Ubi honor coelicolis defertur, id praesertim celebratissimi cuiusque in laude ponitur, quod sit acer atque fortis bonorum reipublicae propugnator, et humanis negotiis procurandis magnopere intentus. Nec solum, quae ad animum excolendum atque ad obsequium legis excitandum idonea et efficacia sint praecepta, debita iis referuntur, sed etiam quae hominum commodis et utilitatibus inserviendo externam eorum felicitatem augere valeant, ut a benevolentia eorundem impetranda, ab iis expetuntur. Imo vero ipsi morum disciplinae — ex usu vetustissimorum saeculorum — vota pro valetudine corporis, agro-

---

34) *Vendid. F. 18, p. 372.*

rum fertilitate, affluentia copiarum suscipienda annexa quasi et intexta videas.

Omnino ex iis, quae de angelis et geniis mira cum gloria praedicantur, metiri licet, quae lege praescripta homini, eorum cultori, sint observanda et sequenda. Nam et hic ad instar illorum vigili et indefesso animo erectus, semper paratus esse debet, et accinctus ad vitandos malorum daemonum dolos, violentiam eorum domandam, conata irrita reddenda, vim frangendam; quo spectant multa in vitae cultu, sacrificiorum ritu, animam et corpus lustrandi ceremoniis usitata et sancta. Hoc uno solo hominis in certamine eo subeundo conditio differt a coelestium sorte, quod corrumpi, in errorem induci et subigi se patitur, qui in hoc mundo vivit, ubi haud exigua nec satis certos intra fines cohibita infernorum dominorum potestas. — Sententia de duabus in homine animis natura sua diversis, et contraria volendo decernendoque nonnunquam inter se altercantibus fueritne antiquissima doctrinae Persarum aetate distincte iam edita, an sit aliquanto posteriori saeculo tribuendum, ut ex principiis dualismi, in quibus paulo penitius recondita esset eius quaestionis materia, tanquam consequens illa deduceretur, in medio relinquam. Certe ea, quae non potest, quin ex animi sensis potius, quam ex ingenii commentis repetenda videatur, haud heri aut nudius tertius apud Persas

orta existimabitur, utpote quae Xenophonti inter illos versato iam innotuerit [35]).

Vivendi praeceptis accommodata sunt, quae de futura sorte hominum rite dispensanda, singulisque factorum suorum praemio digno aut poena debita afficiendis traduntur: bonos nempe vita defunctos, anima cum corpore denuo iuncta, pontem, quo via ex hoc mundo in beatam coelestium sedem muniatur, sine molestia superaturos, et deinde in horum communitatem susceptos, sincera felicitate gavisuros esse; malos contra daemonum potestati permissum iri, quibus mente et morum habitu iam ipsi se associaverint; adeoque fore, ut pontem illum transituri in voraginem

---

35) v. *Cyropaed. l. IV, cp. 1*, Araspis cum Cyro colloquium, et quae ad illustrandam eius sententiam notavit *Foucherius*, transscripta in *Anhang z. Z. A. T. I, P. II, p. 33 sqq.* Duas agendi causas in anima humana sibi oppositas esse, etiam hodie docent Persarum posteri. Ceterum a Persis recentioribus secundum *Izeschn. H. 52, p. 142* quinque animae partes sive facultates distinguuntur, de quibus singulis, sicut omnino de hac disputandi materia, haud futili, ut apud illos, v. *Anquetil.* in *Anh. z. Z. A. T. I, P. I, p. 257 sqq.* Praesertim animadversu digna sunt, quae de conscientia actionum custode traduntur, cupiditates cum insurgant, corpus et animam rationalem ad eligenda et sequenda bona exhortante. (cf. quae *Cabbalistae* afferunt de quinque animae humanae gradibus seu facultatibus, v. *Buddei Introd. in philos. Hebr.* p. *355, 356.*)

inferorum detrudantur, ubi cuique eorum, prout gravior aut levior sit culpa, quam in se admiserit, diutius aut breviori tempore, peccata sua luenda sint [36]).

Universi bonorum malorumque certaminis in libro de cosmogonia supra memorato ea ratio est descripta, ut ambiguo eventu et successu dimicare, et tamdiu dimicaturi esse videantur utrorumque principes, quam omnino futura sit haec mundi conditio, quae in varietate rerum atque vicissitudine consistit. Vices praevalentis tum huius, tum illius imperii certum quendam modum et temporis mensuram sequuntur, cum tota temporum series quae, coeli ambitu finita, duodecim mille annos sit comprehensura [37]), in quatuor divisa sit temporis spatia, annorum numero aequalia, secundum fatalem rerum ordinem, quem Oromazes praeviderat, aut ipsius, aut adversarii eius, aut utriusque mixtae ancipitive

---

36) Vivida terroris imago iis exprimitur, quae malis adversa in ponte contingere dicunt Persae recentiores. Transire enim volentibus mali genii sui spectrum obviam factum, horribili facie iis oblata in memoriam atque conscientiam scelerum suorum revocatos deorsum ad infera corripit.

37) annus magnus, mundi conversione constitutus, cuius rei haud raro mentio facta in Z. A. libris.

dominationi assignata [38]). Quando vero praeterierit longum hoc aevum, a boni victoria maxime insigni orsura est rerum universitatis restitutio, cum omnia a vitiis, quibus laborant, penitus purganda atque denuo creanda sint, et malum quodque ita e medio tollendum, ut ipse auctor eius a scelere et nequitia purum et legi divinae obedientem se praestiturus sit [39]).

Hanc fere summam dogmatum esse dicas veterum Persarum, sensu graviora si spectaveris et significatu generaliora, nec de fabularum vestitu atque ornatu, superstitionibus popularibus, iis

---

38) *Bundeh. sect. 1, p. 58, 29*, cui loco respondet *Theopompi* testimonium a *Plutarcho* laudatum, v. *de Isid. et Osir. cp. 47.*

39) Copiose de hac re disseruit *Anquetil.* v. *Anh. z. Z. A. T. I, P. I, p. 225 sqq.*, cf. locum classicum *Izeschn. H. 30.* Cl. *Tychsenius l. c. p. 137* hunc locum et similem in sequenti precum formula ingeniose in eam partem interpretatus est, ut ad homines pravos, non ad Ahrimanium referendi esse videantur, atque omnino in dubio posuit, sitne illa ratio genuina veterum Persarum. Sed ni fallor sunt, quae alteri opinioni patrocinentur. Ea, quae de Daemone maligno dicta *Izeschn H. 50*, haud facile aliam, nisi de ἀφθαρσίᾳ eius, explicationem admiserint; nec etiam liturgici libri, Zendicis serius conscripti, aliquid afferunt, nisi, fore, ut vincatur ille, neque amplius in inferis inclusus maneat, et id genus alia; in libro de cosmogonia autem diserte narratur, quo modo a sordibus suis ille sit purgan-

omnino, quae tempori suo locoque propria et peculiaria fuerunt, perinde sollicite quaesieris. Ratio ea, qua, quum vires bonorum et malorum effectrices tanquam sua natura, sua sponte alterae alteris infensae, adversa fronte, veluti acie instructa, in medium producantur, animus atque voluntas hominis perpetuo in discrimen vocatur, in universum aestimanti, mentem eo dirigere atque inclinare debere mihi videtur, ut rebus externis sese praeponat, et supra sensilia omnino se efferat extollatque. Nam eo ipso, quod superare conatur, quibus si deliniri atque devinciri se patiatur, perturbari et de gradu suo dimoveri se posse intelligat, deteriora haec sibi censeri, dignitate antecellere se ea putare, praeesse se iis velle iam fere profitetur. Persas, prout omnino eorum sententia ferret, excellentiam quandam et praestantiam omnium reliquorum adiudicare voluisse menti, ex iis colligas, quae praeclara tri-

---

dus, cum in metallorum igne solutorum flumine lavaretur, et quo modo in numerum bonorum daemonum recipiendus, v. *Bundeh. sect. 31, pag. 115;* nec forte vocabulum ἀπολείπεσθαι, quo Theopompus utitur in clade eius describenda, necessario significat, destructum eum, aut in nihilum redactum iri. Ceteroqui, quum Magi recentiores nonnulli dissolutionem eius futuram contenderint, quaestiones maioribus eorum potissimum tractari solitas respicienti haud improbabile videri potest, fuisse inter hos, qui eandem sententiam profiterentur.

buerunt Ferueris suis, utpote tuendae et custodiendae animae praefectis, nec non ipsius in parte quadam eminentiore collocatis [40]). Nihilominus, quod cuilibet in promtu est, tantum abfuit, ut mentis notionem distinctius expressam animo informassent, ut potius vim eius et efficientiam tum in mundo administrando, tum in singulis animantibus conspicuam una cum naturae corporeae viribus saluberrimis et efficacissimis comprehenderent, aut hisce velut insitam et inhaerentem cogitarent. Ignis elemento mobili et fluctuanti, quippe quod omnia penetraret atque foveret, divinum illud inesse opinati sunt, quamobrem superstitioso cultu ignem prosequerentur; et Ferueris illis, utcunque sublimis aliqua ex parte videatur eorum descriptio, vim quandam vitalem, ut supra diximus, significatam voluere, alentem et sustinentem singula, ex quibus compositus est mundus visibilis.

His metiri licet, quod quaeritur, quo nempe modo ad Persarum veterum opiniones referendum sit longe recentius illud doctrinae genus, quod, inter Christianos excultum, Gnoseos nomen sibi vindicavit. Etenim ut paucis argumenti summam complectar, vides hic, e quibus necti potuerit Gnosticorum sententia universa de rerum principiis, de boni malique causarum naturali discri-

---

40) *Izeschn. H. 52*, et *prec. Feruer. Z. A. T. II*, *p. 270.*

mine atque dissidio, de mundo superiore Dei et angelorum seu aeonum sede beatissima, lucis claritate insigni, de pristina conditione animae humanae, priusquam hanc sortem, qua utitur, nacta esset, de incitamentis actionum in ipsa externo quodam habitu inter se diversis, et veluti fine interposito a se invicem seiunctis, cum peccandi illecebrae aliunde proficiscantur, quam virtutis stimuli, de futura denique omnium rerum conversione, et malo quondam penitus auferendo. Quatenus autem argutior ratio Gnosticorum, omninoque talis erat, qualem spiritualismi nomine nos significare solemus, cum a sensuum perceptione longe remota et prorsus aliena dicerent, quae intellectu solo seu mentis a consuetudine rerum externarum sevocatae ascensu quodam adsequenda statuerunt, atque ad ipsam intelligibilium et sensilium, animae et corporeorum comprehensionem boni et mali distinctionem annecterent, eatenus certe exquisitior horum sapientia recedebat a simplicitate illorum ingenii, cui adeo neque consentaneum esset dogma de materia malorum sede, nec quae huic consequentia de mundo eiusque opifice animaque in eo inclusa iniquius scita subiecta sunt.

Sed in perlustrandis Magorum aetate posteriorum placitis apparebit, quomodo factum sit, ut omnino haud pauca nec levissima quidem ex iis, quae antiquitus tradita hi accepissent, novis ipsorum inventis et commentatis locupletata et

immutata exsisterent, et praesertim tenebrarum seu mali notio confundi cum materiae notione consuesceret, atque in hanc abire inciperet. Cum ad Magorum disceptationes considerandas iam progrediamur, ante omnia videndum de monotheismi vestigiis, quae clara et indubitata in libris Zendicis nonnulli eorum interpretes, Graecorum quorundam testimoniis in subsidium vocatis, detegere putarunt, atque adeo in transitu saltem quaerendum est, utrum sententia de uno supremo Deo Oromazis et Ahrimanii genitore, recentioribus aliquibus Magis probata, recte a Zoroastre aut antiquioribus Persis auctoribus repetatur, an infimo, an medio fortasse cuidam Persicarum religionum historiae aevo tribuenda sit. Quam quaestionem propterea quoque prorsus intactam relinquere nolim, quoniam ad illustranda et historica fide comprobanda pertinet, quae de duobus universorum principiis secundum Z. A. doctrinam ab indefinita aeternitate profectis summatim perscripsi.

Vix enim est, quod dubites, notionem infiniti, tanquam quae terminaret omnia, quae in humanam intelligentiam inciderent, animo concepisse Persarum prophetam, adeoque sententias eius concludisse illam potius, quam in ipsis contentam fuisse neges. Quod vi divina in motu quodam et actione conspicua prius et superius fuisset, quod rerum ordinem certis modis atque legibus circumscriptum antecessisset, infinitatis

secreto recondi ei visum et celari. Anteriorem ergo hoc universo condito eorum vitam, quos principio carentes cogitaret, incomprehensa aeternitate involutam dixit atque absorptam.

Quum neque divinitatis imago, quam afferunt libri sacri Persarum, id prorsus renuere atque reprobare videatur, quod sint illi ad unum summum Deum agnoscendum evecti, neque hoc a religionum veterum, Orientalium imprimis, analogia omnimodo absonum existimari queat, facile videas, qua ratione interpretes eo induci potuerint, ut tempus infinitum in libris istis aliquoties memoratum (*Zervane akerene*) vita et intellectu ornarent, et proinde in scriptis suis supremi Persarum Dei mentionem inferrent, praesertim cum singuli quidam sint loci, qui si, ceteris neglectis, soli considerentur, speciose in illam sententiam accipi possint [41]). Sed cum rem paulo accuratius examinaveris, longe aliter eam sese habere invenies, atque omnino optata magis quam vera esse, quae de monotheismo veterum Persarum in medium proponuntur. Nam non solum Oro-

---

41) Altero, *Vendid. F. 19*, in compellatione Ahrimanii, cui malitia sua exprobatur, haud secus eum ac Amschaspandos *edidisse* seu *emisisse* dicitur tempus infinitum, praestantiae suae quasi velo obductum, quod epitheton et in Deo ornando solenne; altero, *Izeschn. H 36*, ignis, tanquam vinculum inter Deum et illud intercedens, laudibus effertur; translatis, ut videtur, verbis.

mazem talibus attributis constanter dignatum animadvertes, qualia in secundarium deum convenire, vix censueris, sed et tempus infinitum plerumque ita esse descriptum, ut inanimum aliquid et vita carens illud agnoscas [42]).

Eo ipso autem, quod incertum reliquerat Zoroastres, quae sit principiorum cohaerentiae aut discriminis ratio, quaerendi et disceptandi materiam haud tenuem aut futilem discipulis suis et adseclis praebebat; quorum dissensiones atque controversiae cuiusmodi fuerint, a scriptoribus Graecis praesertim et Arabibus recentioribus discendum est.

Opinionem de uno Deo supremo quando primum amplexi sint Magorum aliqui, memoriae haud traditum; id vero constat, Alexandri Magni aetate, qua Graecis facilior aditus ad arcana sacra eorum panderetur, iam viguisse illam apud eos; nam *Aristoteles* in *Metaphys. libr. XIV*, *cp.* 4, ex instituto variorum sententias de rerum principio pertractans, inter eos retulit Magos, qui mentem perfectissimam genitricem omnium (*τὸ πρῶτον γεννήσαν ἄριστον*) esse statuerent, quorum numero e sapientibus Graecis aetate posterioribus apposuit Empedoclem et Anaxagoram [43]).

---

42) Simul cum coelo, aut coeli conversione, mundi aevo, vento similibusque, non cum diis in precum formulis invocatur. Cf. *Tychsen. l. c. p. 134.*

43) Alio loco, in primo *de philosophia* libro, opinionem

Quomodo vero ab indefinita illa, qualem prius fuisse observavimus, aeternitatis notione accuratius limitanda progressi, meditando de eo secreto et disputando paulatim in hanc sententiam sint adducti, ex *Eudemi*, Peripatetici, dicto, referente *Damascio de principiis*, *Wolf. anecdot. Graec. T. III p.* 259, colligere possumus. Magos enim alios tempus, alios locum dixisse hic tradidit τὸ νοητὸν ἅπαν καὶ τὸ ἡνωμένον (indiscretum aliquid et indistinctum, incomposite mixtum, quod principio omnia complexum esset, innuens, quod idem paulo inferius vocavit τὴν ἀδιάκριτον φύσιν, veluti Chaos quoddam, sed mente percipiendum), ex quo discreti prodiissent deus bonus et malus daemon, sive lux et tenebrae ante hos, ut nonnulli contenderint. Ipsa temporis notio fortasse quibusdam de suprema omnium rerum causa quaerentibus nimis inanis est visa, quam ut vim quandam actuosam recte ab illo derivari posse sibi persuaserint, quapropter spatium, ut quod omnia circumdet atque complectatur, universi principium fuisse, potius statuerunt. Ceterum videmus, haud exigui etiam momenti, ut apud illos, de Deo et daemone fuisse quaestionem, utrum ipsi, an elementa utriusque ditioni sub-

---

de duobus principiis tribuit Magis, commune, ut videtur eorum dogma respiciens, v. *Diogen. Laërt. prooem. segm. 8.*

iecta, tanquam priora, ceteris quibusque praeponenda essent.

Arabes de singulis sectis earumque placitis quaedam afferunt. Permultas eas fuisse testatur *Scharistanius*, qui idem docet omnes eorum controversias circa duos hos cardines esse versatas, ut lucis cum tenebris mixtae et a tenebris liberandae ratio redderetur [44]). Secta, quam antiquissimam Arabes dicunt (*Kuiomorthitarum* secta, quae nomen suum alte repeteret), lucem Deum primum, Antiquum, seu aeternum, rerum omnium principium fuisse statuit, tenebras autem, alterum deum (s. diabolum, Ahraman), esse creatas, seu ex tenebris productum alterum deum; cuius rei causam fuisse, quod supremo sinistra quaedam cogitatio incideret; hunc enim secum animo volutasse, quod necesse esset, in rerum natura sit aliquid sibi adversarium. Altera secta, de qua iidem referunt (*Zervanitarum* secta), aeque ac prima lucem omnium principium fecit, eamque animantes quosdam mente et virtute perfectas produxisse docuit, quorum praestantissimus, *Zervan*, tam Ahrimanio, quam Oromazi vitam dederit, illi nimirum, cum sollicitudinem quondam sibi struxisset, mundum imperfectum esse cogitans. Tertiae denique inter eas,

---

44) ap. *Pocock. specim. hist. Arab. ed. 1806, p. 152.* De singulis idem testis adeundus ap. *Hydeum de rel. vet. Pers. p. 295 sqq.*

quarum memoriam illi conservaverunt, sectae (*Zoroastris* auctoritate munitae, cum genuinam eius disciplinam se tradere, prae se ferret) sententia, dummodo, quae Scharistanius confuse enarravit, paulo melioremi n ordinem redegeris, haec fuisse videtur: Deus unus et supremus lucis et tenebrarum auctor est dicendus, ita tamen, ut ipsi haud imputetur, quod sunt tenebrae factae; namque cum institueret s. fieri iuberet lucem ut originale quiddam (i. e. tanquam exemplar eorum, quae omnino esse deberent, s. quae creare vellet), tenebrae eam secutae sunt, sicut umbra corporis cuiusdam speciem sequi solet [45]); quas ubi videbat quodammodo esse, sed non revera esse (i. e. earum simile aliquid et analogum, mali primordia iam adesse), lucem plane produxit (fecit, ut integre esset), unde etiam attractae, et quasi acquisitae sunt tenebrae, per necessitatem quandam contrarii illi se subiungentes. Miscuit et temperavit lucem et tenebras ad arbitrium suum, ex quibus compositus hic mundus, bona cum malis mixta continens; (mundi creatio ergo propter tenebras iam subortas, Deo tamen libere decernendo eam constituente, facta dicitur. Ceterum, quae de mixtura lucis et tenebrarum

---

45) Huc pertinent, ni fallor, quae de *Zaruam*, s. summo Deo refert *Theodor. Mopsuest.* ap. *Photium Cod. 81*, Oromazem nempe cum procreare voluisset, una cum ipso Satanam eum edidisse.

hic afferuntur, aliter ac de spiritali substantia cum corporea iuncta mixtaque, sic, ut animae et materiae haud secus ac luci et tenebris boni malique notio annexa et subiecta esse videatur, intelligi fere nequeunt). Finis vero omnium rerum hic est futurus, ut bonum a malo liberetur [46]).

Varias hasce Magorum opiniones, quae, licet altera cum altera comparata antiquam se praebuerit, doctrinae in libris Zendicis traditae ratione habita, omnino substiliores, utpote disceptationibus theologicis nixae, adeoque seriori aevo vindicandae esse videntur, a studio interpretandi et perpoliendi vetustiorem de duobus principiis sententiam profectas putem, quo ducti alii, necessitate quadam posita, simpliciter, alii animarum a Deo emanatarum serie interiecta, mali auctorem ipsi submitterent, alii denique, in huius rei natura investigenda paulo ulterius provecti, curatius atque intentius agendam eius causam susciperent.

---

46) Ex communi Magorum placito. Quae de utriusque certamine et huius eventu h l. sunt dicta, haud scio an de praeteritis (pugna illa in mundo condendo commissa) potius, quam, lectione mutata, de praesentibus ac futuris sint interpretanda, cum principiis propositis alioqui non satis constaret finis immmentis descriptio.

Ab his omnibus eos, quos *Magusaeos* vocat, sedulo distinguit Scharistanius, ut qui duo rerum principia ex omni aeternitate alterum ab altero secreta fuisse, sine ulla ambage sint professi (ap. *Hyde. l. c. p* 295). E secta Magusaeorum, quam et *popularem* dicit, *Manetem*, haereseos semi-Christianae conditorem illum tertio p.Chr. saeculo celebrem, qui tantum non omni ex parte cum Gnosticis nostris consentiebat, provenisse perhibet (*l. c. p.* 282); quod ipsorum dogmatum ab eo propositorum ratio videtur confirmare; primaria enim eius sententia, ad verbum descripta, haec est: ἦν Θεὸς καὶ ὕλη, φῶς καὶ σκότος, ἀγαθὸν καὶ κακὸν, ἐν τοῖς πᾶσιν ἄκρως ἐναντία, ὡς κατὰ μηδὲν ἐπικοινωνεῖν θάτερον θατέρῳ, ἀγένητα τὲ καὶ ζῶντα ἄμφω (ap. *Titum Bostrens.*, v. *Basnage*, *Thesaur. monum. eccl. Vol. I*, *p.* 63). Huic sententiae, cui annexa est fabula cosmologica de dissidio eorundem subinde orto, singularibus quibusdam figmentis a Manete aucta [47]), omnino

---

47) Fabulae ab eo compositae summa haec est: utriusque regnum ab altero separatum atque immune ab eius potestate fuerat, usquedum gens tenebrarum, vecors et intestinis rixis exagitata, temere quondam ad confinium progressa, lucisque adspectu pulcherrimo in cupiditatem huius est accensa. Bello deinceps parato, coelestis substantiae insanientibus istis ad permulcendum aut domandum eorum furorem obiectae parte quadam potiti sunt. — Anima mundi nempe, materiae vinculis irretita atque illigata hic

est consentanea eius philosophia de mundo, et praesertim eius anthropologia; nam in homine haud minus quam alibi conspicuam esse duxit eam, quae sit ubique in hoc universo animae cum visibili et corporeo rerum genere contentio [48]).

---

describitur, ex qua sint progenitae singulae animae, corporibus nimirum inclusae, quae vero partim etiam per totam ὕλην illam expansa et diffusa manserit. — Quo demum facto, ut consequens erat, mundum condere Deus instituit; sic enim se effecturum esse noverat, ut adversariorum suorum ferocia, iam paululum repressa, frangeretur, animae captivae, cum hac vita defunctae forent, solverentur, et secundum metempsychoseos legem varias sortes subeundo purgatae, ad pristinum domicilium suum reduces fierent, lucis vero particulae per materiam dispersae per terrae atque plantarum exhalationem elicitae, in aerem retraherentur atque absorberentur. Memorabilis est animae liberandae descriptio ad Christianismum accommodata; sed longum foret, Manetis commenta de Christo, Spiritu S., Jesu s. anima patibili enarrare.

48) Manetis de anima eiusque cura gerenda praeceptis insunt, quae *Brachmanorum* disciplinam in animum tibi revocare possint, v. *Philosophum.* in *Origen. opp. T. I, p. 904;* quo sensu si quis dicere velit Indicum errorem eum tenuisse, hoc non ab re esse videbitur. — Sublimis illius sapientiae Gnosticae investigator in perlustrandis monumentis religionum veterum Indicarum recens cognitis nonnulla reperiet, quae cum illa ut conferat, ad scopum suum pertineat. Eiusmodi sunt, quae de natura et virtute ani-

His perspectis, de Magorum tam antiquiorum, quam aetate posteriorum disciplina certiores iam facti, ad ea, quae hucusque notavimus, quaestionem de doctrina Gnostica nobis instituendam exigamus, et quoad licet atque fieri potest, eius ortum et progressum cognoscamus. Syrorum nempe Gnosticorum sententiae praesertim eae sunt, quae a dualismi idea modo a nobis descripta haud abhorreant. Si de rebus antiquis Syriacis satis compertum haberemus, fortisan clare ostendi posset, qua via Zoroastris et Magorum opiniones ad Christianos sint translatae. Quoniam vero hac historiae luce plane caremus, necesse est, ex haereticorum nostrorum scientiae penu quaedam promere, nobis sufficiat, quae originis suae signum et notam aperte velut in fronte gerant.

Primo loco commemoretur *Saturninus*, Antiochenus, qui Hadriani aetate vixit. Propositio primaria huius, haud secus ac reliquorum, est de

---

mae superioris praedicantur, praeter quam nihil sit in homine sibi constans et perenne, quamvis et ipsa hebetetur atque in oblivionem sui adducatur in mundo, ubi fluxa sint omnia, nascantur et intereant, cum nulla omnino talium sit ratio certa, imo singularis quaedam Dei vis, seu divinae mentis affectio in eo cernatur, quod sit quaevis eorum cognitio imaginaria atque fallax. Huc etiam referendum est dogma de anima per varia corpora migrando ad fontem suum reversura, quod Indis e maxime solennibus semper fuisse constat.

Deo ἀγνώστῳ, qui angelos et virtutes procreando se aperuerit. Mundum deinde conditum esse docet a septem angelis, qui singuli, stellarum errantium, puta, praesides, singulis eius partibus administrandis sint praefecti. Unum ex his, Judaeorum deum, a ceteris distinguit, eorumque, illius praesertim, adversarium ponit malorum daemonum principem. Dogma eius de mundi creati causis hactenus tantum a Magorum quorundam commento, modo a nobis exhibito, recedere videtur, quod ab angelis dignitatis suae gradu Deo haud proximis praeter ipsius voluntatem id inceptum esse statuit, quod illi Dei quidem decreto, sed propter malum bono tum iam admixtum, esse factum arbitrabantur. Homo, ex opinione eius, ad instar lucidae cuiusdam speciei, quae cum in coelo apparuisset, angelis inferioris huius orbis rectoribus se obtulerit, suique desiderio eos adfecerit, ab his confectus est [49]); quod vero animans sua sponte pronum atque ad humum depressum, tum demum se erigere et ore elato incedere valuit, cum lucis divinae scintillam superne ei immissam suscepisset. Ceterum pariter atque in libris Zendicis a legis cultoribus separentur, qui alterius sint partis, daemonibus pra-

---

49) Simile *Manetis* figmentum de tenebrarum principe ad effigiem Hominis coelestis hominem procreare instituente, v. eius *epistol. fundament.* ap. *Augustin. de natura boni*, *cp. 46.*

vis addicti, duo hominum genera illum quoque inter se distincta fecisse videmus, quorum alterum tantummodo, quod divinae et rationalis animae sit particeps, per Christum, ad corrigenda et restituenda omnia a Patre legatum, servandum et beandum sit.

Aliam similiter philosophandi viam iniit *Bardesanes*, Edessenus, qui M. Antonini et L. Veri tempore libris scribendis haud exiguam ingenii et eruditionis laudem sibi comparabat; cuius placita ex ore eius discipuli in *dialogi de recta fide sect. III. sqq.* introducti cognoscere licet [50]). Duas nempe hic ponit ῥίζας, principio carentes et immutabiles, Deum et diabolum; utriusque ποίοτητα et ἐνέργειαν describit; Dei proprium esse dicit φῶς, αγαθὸν, δεξιὸν, ἐλεημονικὸν, εὐσεβὲς, δίκαιον, diaboli vero σκότος, πονηρὸν etc., quae sunt illorum contraria. Quorum dissidium in hoc mundo quavis ratione conspicuum esse, tam physicum, quam moralem rerum ordinem considerando probare conatur. Nihilominus Deum omnipotentem esse profitetur, atque omnia complecti et continere, cum diabolus in terra habitet; adeoque solum Deum ἄφθαρτον esse docet, qui adversarium suum cum angelis, eius ministris, homini-

---

50) Aliunde parum de iis constat: *Epiphanius*, *haer. 56*, obiter tantum ea perstringit; et ex *Ephraemi Syri* sermonum polemicorum fragmentis et laciniis vix aliquid satis certi ac veri effeceris.

busque ei adhaerentibus in iudicium aliquando vocaturus sit [51]).

Singularem quandam rationem dualisticam in expolienda communi et recepta Christianorum doctrina secutus est *Marcion* ille, Ponticus, quem a *Cerdone*, Syro, theologiae suae principiis imbutum fuisse traditur [52]). Qui quum Dei perfectionis ideam valde sublimem mente sua informasset, verumtamen per anthropomorphismum Orientalibus solitum ad bonitatis eius et beatitudinis intellectum iusto arctiori fine circumscriptum notione concipiendum, sive sensum molliorem animo imbibendum induceretur, eo usque provectus est, ut mundum inferiorem, necessitudine omni, aut nexu causali, sicut fere loquimur, semoto et sublato, separaret ab ipso, huiusque opificem, qualem Judaeorum libri exhiberent,

---

51) Reliquas h. l. referre haud attinet huius viri opiniones, qui de nonnullis magis orthodoxe sensit quam ceteri Gnostici. — Insignis praesertim eo factus est, quod contra errorem de fato et genethliacam superstitionem tum maxime vulgarem praeclare scripsit, licet ipse in naturalibus rerum eventibus diiudicandis astrorum affectioni aliquid momenti tribuerit.

52) Eorum, quos modo memoravimus, dualismo Marcionis sententia, quae est ab additamentis discipulorum eius sedulo distinguenda, haud plane convenit; diabolum enim angelum demiurgi depravatum et de paradiso lapsum ille noverat, v. *Tertull. adv. Marcion. l. II, cp. 10, l. V, cp. 12.*

iracundum, puta, et ambitiosum, neque ulli animi motui minus decoro haud obnoxium, ideoque per catachresin tantum deum vocandum (τὸν θεὸν ἐν ἄλλῳ τρόπῳ), atque a vero et vere bono Deo iusti titulo, haud honorifico scilicet, distinguendum, tanquam sua vi pollentem, nec secundum essentiae suae causam Supremo subiectum describeret [53]); ita, ut plane nova quaedam et nullo modo anteriori consentanea mundi et rerum humanarum administratio a communicata per Christum hominibus Supremi cognitione incepisse videretur.

Praeter Syriam Aegyptum etiam haud paucarum haeresium Gnosticarum patriam fuisse,

---

53) In illustrandum Marcionis dogma de principiis haec notanda sunt: fide *Rhodonis*, Tatiani discipuli, ap. *Euseb. hist. eccl. l. V, cp. 13*, qui internum eius sectae statum probe cognitum habebat, adeoque varias eius adseclarum opiniones accurate discernere poterat, duas ἀρχὰς ipsum introduxisse constat, quum aliorum eiusdem factionis haereticorum placitum de tribus principiis *Synerota* quendam nomine auctorem habuerit. Cf. *Tertull. l. c. l. I, cp. 2 sqq.* (cave tamen, ne omnia ipsi imputes, quae concludendo ex eius opinionibus efficit eius adversarius), *Iren. l. I, cp. 27*, §. *2.* Proinde ex duobus illis Marcionitis *dialogi de r. f. Marcus* verior, quam *Megethius*, magistri sui interpres est dicendus, etsi in demiurgo inique tractando, quem πονηρὸν nomine salutet, modum ab ipso servatum excedat.

aut saltem ab hominibus Aegyptiis, qui Alexandriae eruditi et instituti fuissent, multas earum conditas esse constat. Quae quidem si eas in universum consideres, communi omnes, neque alio ac illae doctrinae fundamento nixae esse videntur; verum a singulis singulae multimodis diversas se declarant, varieque variorum ingenia referunt. Generatim observare licet, Aegyptiacos istos potissimum sectarum auctores accomodatas ad emanationis notionem, qualem supra difinivimus, singularem tamen in modum ab ipsis et perceptam et expressam, proposuisse sententias; idque neminem miraturum esse censeam, qui secum reputaverit, quae literarum studia in illa terrarum parte tum maxime viguerint. Apud nonnullos eorundem occurrunt subtilius cogitata quaedam de Dei essentia simplici, et monadis intellectus ad naturam eius describendam adhibitus. In explicandis eius proprietatibus et agendi modis, sive struenda et ornanda

---

— Materiam mundi primigeniam finxit Marcion, in quam, si quis alius Gnosticorum, hic certe haud bene animatus erat, cui maxime malum imputabat, quam vero, ut inanimum quiddam, ni fallor, non diserte inter principia referebat. Sed consequens erat, ut ii, qui in explicanda eius sententia elaborabant, eo pervenirent, ut vim quandam materiae dominatricem Deo opponerent, et demiurgum tanquam medium inter utramque partem, et animo nunc huc nunc illuc fluctuantem describerent.

Aeonum serie numeri octonarii mysticam significationem crebro iis usurpatam animadvertas, qui omnino, in morem sectae Pythagoreae, arcanis numerorum imbui consuescerent. Sed de his breviter et strictim, hoc quidem loco, mentionem intulisse, nobis sufficiat, quoniam, si penitius in eorum sententias inquirere vellemus, modicos ultra fines huic libello praescriptos disputatio longe protrahenda nobis foret.

CORRIGENDA.

pag. 10, not. lin. 13 a f. leg. longe.
p. 17, l. 17, natura sua.
p. 22, l. 17, addens.
p. 31, l. 18, erraremus.
p. 48, l. 11, infensissimum, l. seq. leg. cuius consortium.
p. 56, not. l. 5, leg. de morum perversitate.
p. 82, l. 2, et.
p. 122, l. 14, contemplatae.

BT
1394

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: August 2005

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION

111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111



LIBRARY OF CONGRESS
0 014 654 349 2